

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14

ANALYSIS,  
**PRÆCIPVORVM**  
ALIQVOT ZASII RESPON-  
SORVM SEV CONSILIORVM: IN-  
STITVTIONIBVS IVSTINIANI  
adiecta, ut præcepta earum theórica  
ad politicam praxin accom-  
modare rudiores hinc  
discant.

BASILEÆ.

A N A L Y S I S,  
P R Æ C I P V O R V M  
A L I Q V O T Z A S I I R E S P O N -  
S O R V M S E V C O N S I L I O R V M : I N -  
S T I T V T I O N I B V S I V S T I N I A N I  
a d i e c t a , u t p r æ c e p t a e a r u m t h e o r i c a  
a d p o l i t i c a m p r a x i n a c c o m -  
m o d a r e r u d i o r e s h i n c  
d i s c a n t .

B A S I L E Æ .

3  
ILLVSTRISSIMIS,  
GENEROSIS ET MAGNIFI  
CIS ADOLESCENTIBVS, IOANNI  
ET NICOLAO FRATRIBVS, COMITIBVS  
*ab Ostorog. Ioanni & Petro Firleis fra-  
tribus de Dambrouicza: & Andrea  
Crotoskio Palatinidi.*

IOAN. THOMAS FREL  
GIVS S.



RESPONSA *Zastij* alia  
quot (Generosi &  
Magnifici Domini)  
in Gymnasio nostro  
Logica Analyfi rete-  
xui: subductisq; illorū partibus, ar-  
gumētis & syllogismis, exempla no-  
bilia proposui, quibus nō tam iuris  
theoremata, quā artis Logicę præ-  
cepta illustrarē & confirmarē, audī-  
toribusq; meis persuaderem, iuris  
ipsius scientiā nihil ferē aliud quā  
coniunctā quandā Logicę, Ethicę,

A 2 Polia

Politicae Amalthea esse: eamque ideo ex eodem fonte hauriendam, unde iureconsulti ueteres, & omnes quicumque recte ulla unquam in parte uitae iudicauerunt, haurire, & debuerunt, & soliti sunt: e naturali nempe rationis usu: qui in bibliotheca Iustiniani multiplex, & e uarijs Iureconsultorum disputationibus collectus est: sed apparet idem usus etiam multo magis in libris Ethicorum, Politicorum, Historicorum, Oratorum, ac praecipue Logicorum. Si enim diligenter totam iurisprudentiam inspicietis, magis ibi Logicam, Ethicam, Politicam, Historiam quandam, quam reconditam aliam rationem inuenietis. Sic enim & multis seculis antequam ulla de iure litera esset, innumerabiles homines Logicè, Ethicè, Politicè, hoc est, prudenter, honestè & iustè iudicauerunt.

Erunt

Erunt igitur haec Analytica nostra exempla, contestatio iudicij nostri: quibus namque argumentis, Logicæ artis utilitatè haecenus suaserimus: atque omnino cur antiqua ratione relicta, nouam ipsi (si modo noua est) usui magis aptam & accommodatam secuti simus. Materia quidem iuridica est: sed artificium formandi (quo Zasius mirum in modum excellit) est philosophicum, & ex eadem Logicæ officina depromptum, ex qua quindecim illæ Ciceronis orationes, nostro labore Analytico retextæ, prodierunt. Cum igitur, Generosi et Magnifici Domini, uos ex patria uestra Socratico quodam Logici studij amore excitos, ad nos huic legis itineribus ad uberiores illius artis cognitionem uenisse perspexi: eam cepi animo lætitiâ, quam meus perpe-

A 3 tuus

tuus erga honestissimā, ac suauissimā, humanissimamq̄ artē amor afferre debuit. Vos itaq̄ p̄ Generoso animi illius uestri impetu hortor, rogoq̄, ut in eam artē in quā ingressi iam pleno gradu estis, incumbere pergatis: & has nostras Analyfes Logicas simul & Politicas mei erga uos amoris & beneuolentiæ testes animo beneuolo excipiat: & praecepta artis, cuius amore incensistis, plenius indidē irrigetis: id qd̄ uestra familia in excelso regni uestri loco sita, ad decus & dicēdi, & rectē sentiēdi maximoperē requirit. Sciūtū em̄ illud est Poētæ de ornamentis summorū uirorum, apud quem Phoenix discipulum studet efficere, *Μέλιον κίνη σπινθήρ ἐμείνας, ὡρηκτῆρα δ' ἐργῶν.*  
Benè ualete. Datum Altorsij mense Augusto, Anno c10. 10. LXXIIX.

RESPON

7  
R E S P O N S V M P R I  
M V M I N M A T E R I A T E  
S T A M E N T A R I A, D E D I  
S P O S I T I O N E P A T R I S I N  
T E R L I B E R O S.

C A S V S.

Coniuges.

Ioannes Gegingus. ——— Christina.

Prior mari-	Barbara Geginga.	Posterior mari-
tus. N.		tus Michaël Ar-
	Filia. N. cuius maritus	neccus reus.
	Iodocus Castus actor.	



**I**OANNES Gegingus cum uxore Christina dispositionem inter liberos fecit: ex quibus etiam Barbara fuit: quæ ex priore marito filiam sustulit: eo mortuo, postea nupsit Michaëli Arnecco: ex quo nullos liberos suscepit. Barbarâ itaque mortuâ, gener Iodocus à uirrico uxoris suæ, petit bona focrus suæ ex dispositione Ioannis Gegingi, qui fuit pater focrus. Contradicit Michaël Arneccus uirricus. Res deducitur in iudicium: testes audiuntur.

*Questio de iure.*

- I. An dispositio uel diuisio, quæ à Ioanne Gegingo facta dicitur, sit per testes sufficienter probata?
- II. Et si probata sit: an nihilominus, tanquam nulla, impugnari possit?

Responsum.

A 4 PRIMA

## PRIMA PARS:

*Quò dispositio sit satis probata.*

*Per duos* I, Duo testes sunt, nimirum Georgius Vogelius & Barbara Ruterina, qui attestati sunt, quòd ex ipso seniore Georgio audierint, quòd suorum liberorum liberis hereditarem, & bona sua reliquerit & ordinavit. Et attestata est Ruterina, quòd literas eius ordinationis audierit legi. Per hos duos testes probata est confessio ordinatoris uel testatoris, quòd confessus est se fecisse dispositionem. Et quia Ruterina uidit & audiuit instrumentum ordinationis, possunt hi duo testes ad fidem faciendam coniungi, accedentibus etiam alijs testibus: de quo per Doct. in l. admonendi. De iureiu. Accedente etiam fama, de qua ad minus sex testes attestati sunt. Quæ licet in causis scientiæ parum ualeant pro natura tamen & qualitate huius negotij, satis adminiculantur. Quò facit uulgatum illud:

Esti non profunt singula, multa iuuant. gl. in l. 2. De excus. tut.

1. *Obiectio contra testem utrumq.*

Testes singulares, sunt inepti & inconuenientes; nihil probant.

At duo isti testes sunt singulares. Diuersis enim temporibus dictam testatoris uel disponentis confessionem audierunt.

Nihil ergo probant.

*Solutio*

ALIQUOT ZASII. 9  
*Solutio ex distinctione circa singularitatem testium.*

Si tempus & locus ad substantiam actus & articuli causæ principalis necessaria

Sunt, ita ut ex temporis & loci uarietate, ueritas causæ uariet: tum testes in tempore & loco singulares nil probant.

Non sunt: tum singularitas in huiusmodi qualitatibus testibus nil nocet. Satis enim est si in uno rei sine concordent. l. qui sententiam. C. de pœnis. Et probatio-num uia non est angustanda. l. quoniam. in fin. & ibi gl. C. de hæret. Vide Specul. tit. de testib.

*Ex hac distinctione hoc esto iudicium.*

Singularitas circa qualitates quæ ad substantiã actus nil facit: non obstat testibus.

At in hac attestatione est singularitas talis.

Nihil ergo obstat testibus.

2. *Obiectio, contra Vogelium.*

Testis ambiguus, nil probat.

At Vogelius secundus testis est ambiguus. Nam de ordinatione quoad nepotes, non quoad matrem attestatus est.

Vogelius igitur nil probat.

*Solutio.*

Vbi uerba sunt clara, ibi nulla est ambiguitas.

At Vogelij uerba sunt clara. Dixit enim tantum, quantum audiuit à testatore. Nec enim testis debet esse uerbosus, Specul. tit. De test. §. j. Satis etiam testa-

tori fuit confiteri ea, quæ ad nepotes pertinebant, de quibus poterat uereri futuras dissensiones. Non enim semper narranda sunt, quæ omitti poterant. l. ampliore. C. de appell. l. j. C. si quid contra ius. De niq̄ oratione seu enunciatione simplici, non intelligitur taxatiua, nisi ratio urgeat. l. quia. cum seq. De in ius uoc. Itaq̄ non sequitur, testator confessus est de dispositione circa nepotes: ergo exclusit matrem, cuius non meminit.

In Vogelij igitur attestatione nulla est ambiguitas.

### 3. Obiectio contra Ruterinam.

Testis cognatus, & qui aliquid commodi expectat, nil probat.

At Ruterina decima testis, est cognata uxori a&toris, & aliquid commodi expectat ex attestacione.

Ruterina igitur nil probat.

### Solutio prior de cognatione.

Quintus gradus non attenditur in testificando. Bal. l. parentes. C. de testib.

At Ruterina cognata est uxori a&toris in quinto gradu.

Id ergo non attenditur. Item,

Vbi par est affectio, exceptio cognationis nil proficit. l. non solum. §. De rit. nupt. Specul. in tit. de test. §. j. uerf. sed quid si testis.

At in nostro casu par est affectio. Nam Ruterina uxori a&toris & rei pariter est cognata: imò uno gradu prior est uxori rei.

Illà igitur exceptio nil proficit in nostro casu.

### Solutio altera de spe commodi.

Testis, qui ex incerto euentu, & per indirectum seu secundariò

darid spem commodi habet: non repellitur. Argumentum euidentissimũ præstant legatarij, qui effi ex testamento cõmodum sperant, possunt tamen in causa testamenti testificari. Instit. de testam. §. legatarijs. l. distantibus. & ibi Bal. in prin. C. eod.

At Ruterinæ spes, si qua est, incerta est.

Ruterinæ ergo testimonium non rejicitur.

### Conclusio primi argumenti.

Cum allegatur factum aliquod aut contractus: sufficit si probatur confessio, fac. l. Pùblica. §. fin. ff. Depositi.

At hîc allegatur factum, dispositio nimirũ Ioannis Gegingi.

Sufficit igitur si probetur cõfessio Ioannis Gegingi.

II. Per sex testes alios sufficienter probatum est, quòd II. *Per sexta* Barbara Geginga filia Ioannis Gegingi testatoris, & uxor *stes proba-* rei, sponte confessa est & recognouit, quòd pater Ioannes *tur confes-* talem dispositionem fecerit, de qua secundus & tertius *sio filia.*

articulus a&toris loquuntur, & quòd instrumentum eius dispositionis confectum fuerit. Per hanc confessionem etiam legitima fides facta est de ipsa dispositione, eiusq̄ instrumento, & de his quæ in eo continentur. Nam,

Confessio quæ nocet contenti, rectè facit fidem contra contentem.

At hęc confessio Barbaræ, ipsi nocuit. Nam dicta dispositio obligabat ipsam ne bona patris alienaret, sed relinqueret liberis suis, nepotibus atq̄, è quorum numero uxor a&toris fuit.

Facit ergo fidem contra Barbaram: eoq̄ magis, quia ea confessio in lecto ægritudinis facta est. gl. Bal.

& Do&

& Do& in l. j. C. de fals. cau. adiec. in l. generaliter, C. de non num. pecu.

1. *Obiectio contra testes, de singularitate.*

Testes singulares, nihil probant.

At isti testes sunt singulares.

Nihil ergo probant.

*Solutio.*

Licet isti testes sint singulares in tempore (audierunt enim confessionem Barbaræ diuerso tempore) quia tamen de eadem confessione omnes loquuntur, fidem faciunt. Tempus enim ad factum principale, & ad confessionem nihil facit, nihil demit, nihil addit. Item,

Si index ex testium dictis ad credendum inducitur, potest illis plenam fidem adhibere, etiamsi essent singulares, ut dicit Bartol. Soccin. consilio 262. allegans Paul. de Cast. in l. admonendi. De iurciur. qui ait indicem esse capitulosum, qui testibus non crederet. Sic Alex. consil. 11. parte 4. ait probationes diuersas, si ad unum finem tendant, & animum iudicis ad plenam crudelitatem inducerent, fidem facere.

At in hoc toto negotio, pro astore multa uerisimilia concurrunt: ut quod dispositio inter liberos, & nepotes laudabilis est: quod ex testibus constat, patrem Barbaræ, idem eam dispositionem fecisse, quia haberet maritum inutilem: quod etiam fama qualiscumq; concurrat.

Index igitur testibus his plenam fidem adhibere poterit

terit, etiamsi eorum singularitas consideranda esset.

2. *Obiectio de idoneitate testium.*

Testes prius examinati & publicati, non sunt idonei. At isti tales sunt.

Non ergo sunt idonei.

*Solutio.*

Exceptio per sententiam reiecta, non attenditur. Innoc. c. quod ad consultationem. De re iud.

At ista rei exceptio ante examen testium fuit opposita, sed per sententiam reiecta.

Non ergo attenditur: nec potest pro reo retorqueri, quod in dicta sententia iudices sibi iustitiam reseruarunt. arg. l. non ad ea. De cond. & demonstr.

3. *Obiectio de confessione in absentia facta.*

Confessio in absentia aduersarij facta, & per eum non acceptata: non obligat confitentem.

At ista confessio Barbaræ, est facta in absentia uxoris actoris.

Sua ergo confessione Barbara non obligatur.

*Solutio.*

Confessio geminata probat sicut iudicialis confessio. Bart. in l. cum scimus. C. de agr. & cens. lib. 11. Felin. in c. si cantio. De fid. instru. fac. l. si mulier. C. ad Velleian.

At confessio Barbaræ, est geminata, & sæpius per ipsam facta: ut per testes constat.

Probatur igitur sicut iudicialis, licet extra iudicium, & in absentia aduersarij facta.

4. *Obiectio*



4. *Obiectio de solemnitate.*

Non satis est de instrumento ordinationis attestari;  
nisi etiam de solemnitate eius attestatio fiat.

At hi testes nihil de solemnitate dixerunt.

Non igitur satis est de instrumento attestatos esse.

*Solutio.*

Lis hic non est de solemnitate: sed an instrumentum illius dispositionis confectum fuerit: quod cum probatum sit, etiam actoris intentio probata est: & presumuntur omnia solemniter acta, maxime cum reus instrumentum negauerit: ideoque presumptioni interuersarum literarum locum fecerit.

III. *Per tres testes probatur, quod si alia instrumentum habuerit.*

III. Ex trium testium dictis constat, quod uxor rei pernes se instrumentum dispositionis habuerit cum uiveret, ut loquitur quartus actoris articulus: quo casu presumitur etiam usque ad mortem habuisse, & ex consequenti etiam reus, ut qui se bonis uxoris immiscuit: nisi probet instrumentum esse perditum. Vnde, cum reus perditionem non solum non probauerit, sed etiam se instrumentum uidisse negauerit: presumitur id apud uxorem fuisse substractum. Quam presumptionem duo adiuuant: tum quia Barbara rei uxor filiae suae instrumentum perenti exhibere noluit: quod satis arguit animum occultandi. arg. l. 2. §. 2. De iur. fil. l. non ignorabit, C. ad exhib. tum quia dicta Barbara patri suo succedens in bonis, in quibus instrumentum erat, inuentarium non fecit: ex quo substractio satis presumitur. Authen. de hered. & falcid. §. sancimus §. si uero non fecerit. In hac igitur presumptione interuersionis, sufficeret iusturandum actoris ad probandum tenorem

tenorem instrumenti. Bart. l. sicut iniquum. C. de probat. Et cum instrumenta perdit dicuntur, satis est probare aduersarium ea, quae in instrumento continentur, confectum esse. Nam qui confitetur ea quae sunt contenta in instrumento, non secus obligatur ac si instrumentum preferretur. Bal. l. alia. C. de his quib. ut ind. Confessio enim aequipollet instrumento. Bal. in l. fin. C. de edit. diui. Adr. toll. Est itaque magna praesumptio contra uxorem rei. Nam

Heres grauatus fideicommissio, inuentarium facere cogitur Ang. l. j. §. haec uerba. Si cui plus quam per l. falcid. Bal. in l. filium. ad fin. C. famil. ercisc.

At Barbara sciebat se esse grauam de restituendo cum successit patri ui dispositionis,

Inuentarium igitur facere debuit.

Habet: sufficit.

Si actor, qui allegat amissionem instrumenti, confessionem aduersarij

Non habet: tum si instrumentum amissum est,

Vitio aduersarij: non habet actor opus alia probatione ad probandam suam intentionem: sed satis est, ut probet eius vitio amissum esse instrumentum, quo continebatur id quod intendit. l. si de possessione. C. de probat.

Alio modo: necesse habet actor probare intentionem instrumenti per testes, qui interfuissent: ita Azo in tit. C. de fid. instrum. Specul. in tit. de instr. edit. §. restat,

*Quod dispositio hæc iure sit ualida:*

I. Quilibet potest testari de suis bonis, nisi expressè inueniatur prohibitus. Authen. de nupt. §. disponat. Bal. in Authen. omnes peregrini. C. commu. de success. Specul. in tit. de instra. edit. §. cōpendioso.

At Ioannes Gegingus nullo iure fuit prohibitus.

Potuit igitur de suis bonis disponere.

II. Ordinatio patris inter filios, ut bona non ad extraneos, sed ad liberos deuoluantur, diuino & humano iure commendatur. Nam parentes pro liberis consilium capere & eis prodesse: suamq; cognationem alienæ successioni præferre uelle re & præsumuntur, ut dicit Bal. in l. cum acutissimi. C. de fideicom. qui ibidem ait, quòd pater eam charitatem quam erga filium habet, etiam erga nepotes habere præsumatur. all. l. cum auus. De cond. & demonstr. Itaq; nomine liberorum etiam nepotes continentur. Bart. in l. liberorum. De uerb. sign. Imò nepotes ex corpore aui dicuntur nati, etiam si sint nepotes ex filia. Bal. l. j. C. de condit. insert. & in c. j. ad fin. De feud. succ.

At Ioannis Gegingi dispositio fuit ordinatio inter filiam & nepotes.

Vigorem igitur de iure & æquitate habet.

1. *Obiectio de solennitate.*

Dispositio quæ caret solennibus, non ualet.

At dispositio Gegingi caret solennibus.

Nihil igitur ualet.

*Solutio.*

*Solutio.*

Dispositio uel dispositio patris testati, uel intestati inter liberos: etiam imperfecta, id est, sine solennitate ualet Bal. in l. inter omnes. C. famil. hercisc. fac. l. hac consultissima §. ex imperfecto. C. de testam. Et licet ibidem in Authen. quod sine, requiratur subscriptio patris: si tamen alijs documentis patris uoluntas pateat, satis est: ut tenet Salicet. in d. Authen. quod sine. Vnde quia hodie ex consuetudine publica, sigilla etiam sine subscriptione probant: sufficeret officialis sigillum, de quo in c. 2. c. cum dilectus. De fid. instrum. Sufficit quoq; uoluntatem patris inter liberos disponere uolentis, literis uel testibus probari. Literæ enim, instrumenta & testes in exercendis litibus æquipollent. l. in exercendis. C. de fid. instrum.

At dispositio Gegingi est dispositio inter liberos.

Ergo etiam sine solennitate ualet.

Deinde, etiam si opus fuisset aliqua solennitate saltem ex iure municipalitæ: ea præsumitur esse obseruata. Bal. l. cum uirum. z. C. de fideicom. Ad hæc,

Is qui contendit scripturam non esse solennem, id probare debet. Bal. in l. si post diuisionem. C. de ior. & fac. ignor. all. l. cum precibus. C. de probat. l. optimam. C. de contrah. stip. l. iuris gentium. §. quod ferè. De pact. Nam pro diturnitate præsumitur l. si filiusfam. C. de petit. hered.

At reus contendit hanc dispositionem non esse solennem.

Debet igitur hanc negatiuam probare.

B

z. Obie-

2. *Obiectio de iure municipali.*

Dispositio iuri municipali contraria, non est ualida.  
At dispositio Gegingi est iuri municipali Vberlingensium contraria.

Nihil igitur ualet.

*Solutio.*

Præsumuntur omnia ritè acta: nisi contrarium fuerit probatum. Et dicit Alex. in consil. 15. in 4. parte: in dubio præsumi, quòd testator suam dispositionem iuri municipali conformem faciat.

At reus in contrarium nihil probauit.

Præsumuntur igitur omnia ritè facta: & reus, frustra disceptat. Item,

Quæ non sunt uerisimilia, non sunt credibilia. I. non est uerisimile. Quòd met. cau.

At esse in ulla ciuitate imperij tale ius municipale, quo dispositio bonorum inter liberos à parètibz facta prohibeatur: parum est uerisimile.

Non ergo credibile est. Deniqz,

Confessio, nocet contenti.

At Barbara uxor rei confessa est instrumentum diuisionis esse legitimum & sufficiens.

Barbaræ igitur nocet confessio.

3. *Obiectio de exheredatione.*

Dispositio qua exheredatur filia, & priuatur legitima & fructuariz constituitur: est iniusta.

At hæc dispositio Gegingi est talis. Ergo iniusta.

*Solutio.*

Pater instituendo filium, uel alios hæredes, potest eos grauari

grauari fideicommissio, id est, ut restituat bona hæreditaria nepotibus, uel alijs post mortem: prohibendo ne bona interim alienentur. I. pater in prin. & §. pater ad fin. De leg. 3. l. cum pater. §. hæreditatem. §. à filia. De leg. 2. l. post mortem. C. de fideicom. l. iubemus. C. ad Trebell. Et per huiusmodi onus fideicommissi adiectum, is qui hæres est institutus, nihilominus est hæres & dominus bonorum: alienare tamen bona hæreditaria non potest, nisi quartam, quam habet liberam: & si huiusmodi quarta ad dotem, uel donationem propter nuptias non sufficeret, possent etiam alia bona ad hoc distrahi. Authen. res quæ. & ibi Castr. C. commu. de legat. Et licet bonis hæreditarijs, dictum onus non alienandi sit adiectum: nihilominus tamen pleno iure sunt hæredis. Nam posse alienare, nõ est de definitione dominij. Bal. in l. uoluntas. 2. C. de fideicom. Dominia enim limitata esse possunt, ut docet Bar. in l. si tibi. Si cert. pet.

At Gegingus pater filiam Barbaram hæredem instituit: uoluit enim, ut bona sua, filiz obuenerent. I. lege obuenerit. De uerb. sign. Et ait Bal. in l. captatorias De test. mil. quòd relicta filijs intelligantur iure institutionis.

Potuit ergo eam grauari fideicommissio.

4. *Obiectio.*

Argumentum, quo dicitur Barbarâ rei uxorem, postquam hereditas ad ipsam peruenit, ordinationem patris defuncti abrogare potuisse: nec manus, nec pedes habet: quia Barbara, ut hæres, cogebatur seruare uoluntatem

defuncti, ne incidere in pœnam Authen. hoc amplius. C. de fideicom.

5. *Obiectio de affectis bonis, Von verfangenschaft.*

Bona affecta, iuxta statuta oppidi Vberlingensis mortuis parentibus deuoluntur ad liberos.

At hæc bona fuerunt Barbaræ affecta. *Seyen jhre verfangene gûter gegeben.*

Ergo hæc bona iuxta statuta Vberlingensia deuoluta sunt ad Barbaram mortuo patre.

*Solutio.*

Quæ dispositionibus hominũ honestis prouisa sunt, à statutis eximuntur. arg. l. fin. C. de pact. conu. l. & habet. §. cum quis. De precar. Maxime si cõuentio sit rationabilis, & mente statuentium non aliena. Itaq; etsi in dicto oppido statutum, & cõsuetudo esset, ut post mortem alterutrius cõiugis bona sint liberis affecta: id tamen non procedit, si parentes in sua uita ordinationes proprias circa successionem fecerunt. Nam statuta casus non prouisos complectuntur.

At in nostro casu dispositio honesta est, & à mente statuti non aliena. Nam bona parentum, liberis idem sunt affecta, ne in extraneos alienentur. At hoc prouidit specialius dicta ordinatio. Itaq; dicta ordinatio licet statutum cessare faciat quoad uerba: consonat tamen eidem quoad mentem, quæ præualet. Nam mens & ratio est anima legis.

Noster ergo casus statuto exemptus est. Item,

Qui

Qui se uerbis statuti tueretur, ut abutatur mente & ratione statuti: nullo pacto est audiendus.

At aduersarius abutitur mente statuti. Ideò enim allegat bona parentũ filix fuisse affecta, ut ea postea fiant libera: & ut sic filia in maritum contra ius & honestatem ea conferre, ac suos proprios liberos contra rationem statuti, his spoliare possit; quam fraudem sine dubio statutum cauere uoluit.

Aduersarius igitur non est audiendus.

6. *Obiectio de consensu.*

Is obligatur dispositione seu conuentione, qui consensit.

At Barbara in ordinationem patris non consensit.

Barbara igitur non obligatur illa ordinatione.

*Solutio prior, quòd consenserit.*

Si testes de consensu dixerunt: eaq; instrumentum dispositionis penes se habuit: non est dubium quin consenserit. Bal. Paul. l. si unus. C. de testam. fac. l. si filius. Ad Maced.

At eius rei testes adsunt: & ipsa Bárbara in instrumentum in sua potestate habuit.

Consensit igitur.

*Solutio altera, quòd ipsius consensu non fuerit opus.*

Parentes in sua dispositione non opus habent consensu liberorum. Nam quilibet est dominus & arbitrius in re propria. l. nemo. C. de Iudæ.

At in nostro casu parens disposuit.

Non igitur opus habuit consensu filix Barbaræ.

7. *Obiectio.*

Per ordinationem factam de bonis restitutioni subie-  
ctis, eueritur ordinatio prior.

At Barbara ordinationem fecit de bonis restitutioni  
subiectis. Filia enim Cristina ex soluto coitu nata,  
aliquod ordinauit.

Per illam igitur ordinationem, euerit priorem ordi-  
nationem.

*Solutio.*

Per hanc ordinationem, legitimæ ordinationi non oc-  
curtur. Non enim est in potestate debitoris, onera sibi im-  
posita, in præiudicium tertij annihilare. arg. l. debitorum,  
C. de pact. Mater quoque liberis naturalibus non potest  
plus uncia relinquere: si extent liberi ex legitimo thoro  
nati. l. 2. C. de natur. lib.

8. *Obiectio de donatione.*

Barbara potuit marito bona sua donare.  
Igitur dispositio patris nihil ualuit.

*Solutio*

Inter coniuges prohibita est donatio. l. j. De donat.  
int. uir. & uxo.

Barbara & Michaël fuerunt coniuges.

Inter illos igitur prohibita est donatio. Item,

Bona ob fauorem liberorum restitutioni subiecta, nõ  
possunt donari. fac. l. fin. §. fin. autem cum d. Auth.  
res quæ. C. commu. de legat.

At bona Barbaræ restitutioni subiecta. Ad libe-  
ros enim post mortem ipsius spectabant.

Non

Non igitur potuit ea marito donare, & in fraudem li-  
berorum interuocare. Vti frui ramen potuit.

9. *Obiectio de libro census.*

Ex consensu obligatio oritur.

At ut Michaël Arneccus bona uxoris tanquam sua  
propria in librum census (quem barbaræ catastum  
& extimum, Germanicè *Steurbuch* uocant) inscri-  
beret, consensu Barbaræ factum est.

Bona igitur illa Michaëlis sunt, & eo consensu obli-  
gatur eius uxor.

*Solutio.*

Consensus metu extortus est inualidus. arg. l. j. §. quæ  
enarrandæ. Quar. rer. act. non det. Authen. si qua  
mulier. C. ad Velleia.

At ut Barbara ad illam inscriptionem consentiret, mi-  
nis mariti est coacta.

Ille ergo Barbaræ consensus est inualidus. Item,

*Obiectio de traditione.*

Traditionibus transferuntur rerum dominia.

At Barbara marito tradidit illa bona: iussit enim ut  
is sibi ea adscriberet in libro census.

Barbara ergo transtulit dominium in maritum.

*Solutio.*

Per traditionem, quæ ex titulo prohibito processit:  
nec possessio transfertur, nec dominium quaeritur.  
l. j. §. si uir. De acq. poss. l. si enim. De donat. int. uir.  
& uxo.

At traditio Barbaræ facta est ex titulo donationis, in-  
ter coniuges prohibito.

Itaque nec possessio in maritum translata, nec dominium ei quæsitum est. Itaque per inscriptionem factam in librum census, non potest se contra tertium probare dominum. Bal. in l. solennibus. & ibi Salicet C. de rei vend.

*Ex supradictis concluditur hoc iudicium.*

Dispositio à parentibus inter liberos facta, valet: nec obstat, si instrumentum sit omissum, modò probetur.

At in vostro casu est dispositio inter liberos, eaque per testes probata est: neque quicquam obstat, quæ per aduersarium obiecta sunt.

In nostro igitur casu dispositio valet.

*Sententia pro actore contra reum.*

Actor dictam ordinationem ratione uxoris suæ satis probauit. Reus itaque dictam hereditatem & bona, quæ ad Barbaram uxorem eius hereditario iure peruenerunt: actori restituat & restituere debet, unà cum refusione impensarum. Nam,

Qui non habuit probabilem causam litigandi, debet victori expensas refundere.

At reus non habuit probabilem causam litigandi: quod ex actis facile colligi potest.

Merito ergo reponet expensas.

SECVN-

SECUNDVM RESPON-  
sum in Materia Testamen-  
taria.

C A S V S.

**N**obilis & strenuus uir Thomas Löffelholz testamentum nuncupatum fecit: in quo fratris sui nepotes heredes instituit, multis & varijs legatis (præsertim in pias causas) distributis. Quod testamentum in scripturam redactum, proprio sigillo obsignauit, & ad maiorem securitatem coram Notario publico, & septem testibus ad hoc specialiter rogatis, perfecit: sicut Notarius ad hoc rogatus, sese dicto testamento in forma publici instrumenti subscripsit: ut ita testamentum illud, præter sigillum testatoris, subscriptione Notarij, testiumque legitimorum præsentia munitum sit. Quod testamentum dictus testator in uita sua non solum non reuocauit, sed etiam in lecto ægritudinis, testamenti causam asseruit. Nunc ipso defuncto, testamentum penes ipsum non quidem læsum est repertum: uerum sigillum est ablatum: nec constat, cuius manu, an inimici, an testatoris id factum sit. Itaque accidit ut neptis ex forore dicti testatoris (licet ei testator ducentos florenos legarit) testamentum impugnare, & ad causam intestatam reducere conetur.

*Questio de iure.*

- I. An sigilli ablatio testatori sit adscribenda.
- II. An sigilli ablatio (per quemcumque facta sit) testamenti fidem euertat.

B 5 . Respon-

## Responsum.

## PRIMA PARS,

*Sigilli ablationem testatori non esse adscribendam; idq; ex quatuor coniecturis.*

*Voluntas sine testamento decedere non potest, quomodo probetur.*

I. Ex facto testatoris. Qui de testamento suo sollicitus est, dum ad belli discrimina proficiscitur; uehementer præsumitur sine testamento decedere noluisse, l. 3. De mort. cau. donat. fac. l. licet. C. de pact.

At Thomas cū ad belli discrimina proficisceretur, semper testamentum secum detulit. (re.

Thomas igitur præsumitur noluisse intestatus decedere.

II. A' consuetudine testatoris. E' consuetudine iuuentis, præsumitur uolūtas morientis. arg. l. cū scrus. ad fin. De condit. & demonstr. fac. l. sed Iulianus. §. quod dicitur. Ad Maced. Vnde Bart. in l. prædijs. §. Titio. De legat. 3. uoluit ex usu testatoris magis, quam ex instrumento uenditionis, uolūtatē eius perpendi. gl. not. in l. nomen. §. filio. De legat. 3. ubi docet contra uoluntatem testatoris fieri, si ab eius consuetudine discedatur.

At Thomas noster testamentum suum, quocunq; iret, secum deferre consuevit; & iam prælium aditurus, hospiti suo seruandum commendauit: quod in facta probatum est.

Thomas igitur propositū sibi habuit, ne sine testamento decederet. Animum uerō mutasse non creditur: quia uir constans non facile uariat. arg. l. in cause. in fin. De procur. Et mutatio uoluntatis nō præsumitur, nisi contrarium probetur, l. Lucius Titius. j. in fin. & ibi gl. De leg. 2.

III. Ex

III. Ex uerbis testatoris. Testator in extremis constitutus, se dicens testatum esse: præsumitur de ultimo testamento locutus esse, nec illud sigillo priuasse. Vnum enim testamentum præsumitur. Vbi autem nulla alia est ratio quam una: ista pro expressa habetur. ut ait Bald. in l. 2. De lib. & posth. Accedit quod in iure nostro identitas præsumitur, nisi diuersitas doceatur: nec etiā pluralitas præsumitur, nisi probetur. Itaque qui dicit diuersa uel duo esse, probare debet.

At Thomas noster testator in lecto ægritudinis cōstitutus uerbis expressis declarauit, quod post mortem suam inueniretur testamētum (uulgō, *Man wirt ein Testament finden*) & in extremis suis quosdā famulos ad patruos suos, eosdēq; hæredes misit, qui post mortem suam expedirent, quæ ipse iam non posset. Ex quibus omnibus Mens seu Voluntas testatoris manifesta est. Nam cum mente concurret scriptura ipsa & uerba extra testamētum prolata. Mens enim non solum ex scriptura testamenti, sed etiam ex his quæ extra testamentum proferuntur, attenditur. ut dicit Calca. consil. 8. Verba enim sunt notæ & symbola animi affectionum: & nemo præsumitur ea dicere, quæ uel non cogitauerit, uel nolit, ut in l. La-beo. §. idem Tubero. De supell. lega.

Thomas igitur creditur de ultimo cogitasse, nec ab eo sigillum remouisse. Nam,

Qui propter quietem & pacem testatur, non facile sigillum amouet. Id enim litis & controuersiarum momentum esset.

At

At Thomas propter quietem & pacem testatū se dixit. Tomas igitur ab eo testamento, ad quod se tāquam ad extremum suum iudicium referebat, sigillum non remouit. Item,

Testator qui sapienter & prudenter omnia, quæ ipsi re-  
cta uidebantur, in testamento suo prouidit: quibz  
cum magna accurate & diligentia testatus est:  
presumi non potest facilè, & ueluti uno digito, ea  
subnertere, quæ tanto labore perfecit. arg. l. scimus.  
C. de inoff. testa. fac. quæ tradit Bart. in l. j. C. qui &  
adner. quos.

At Thomas prudenter omnia prouidit & accuratè te-  
status est.

Thomas igitur suum iudicium non cessauit: idqz affe-  
rere, planè falsitatis habet imaginem. ut per Bald. l.  
j. C. de seru. fugit. Item,

Contra factū suum, nemo uenire: nemo seipsum, suum  
uotum impugnare, aut infringere credendus est. l.  
3. De mil. testa. l. uendicantem. De cui. l. post mor-  
tem. De adopt.

At Thomas ex uoto suo testatus est. Nam nepotes ex fra-  
tre instituit: neptem autem ex sorore (quā propter  
quasdam ingratitude causas ita oderat, ut si ui-  
xisset, etiam legatū adempturus fuisset) legato ei  
relieto, ab hereditate exclusit.

Non ergo potest, nec debet presumi, quòd sigillum ab-  
sciderit: quo facto, dicta neptis eiusqz maritus ho-  
mines ipsi ingrati, occasione habere hæredes in fi-  
liatos (quos instar filiorum suorum dilexisse fertur)  
inquietandi & hæreditatem suam (à qua ipsam ne-  
ptem

ptem excludit) usurpandi. Et hoc argumentum ob  
uehementissimam uerisimilitudinem, uel solum  
sufficere possit.

III. Ex nobilitate. Viri nobiles, qui institutū patruos  
suos, maximè uolunt, ut testamentum suum sine  
omni controuersa ualeat. Nam per mares & nō per  
feminas, ordo & dignitas familiarum propagatur:  
quæ absqz diuitijs nō conseruatur. l. j. §. publicè. De  
uent. in spic. l. ab omnibus. circ. prin. De leg. 1. l. sunt  
agnati. De legit. tut. Instit. eod. §. j. Et in agnatis est  
fons memoriæ. l. pronficiatio. ad fin. De uerb. sign.  
Femina autè, & caput, & finis est familiæ. d. l. pro-  
nunciatio. in fin. & §. familiæ.

At Thomas uir nobilis clarusqz & fama, & nomine, pa-  
truos suos instituit.

Thomas igitur nihil magis credendus est desiderasse,  
quàm ut suæ familiæ & progeniei conseruationem  
propagaret: ideoqz nō credendus est suo facto, quic  
quam attentasse, quod uel uoluntati ipsius repu-  
gnaret, uel testamento fidem derogaret.

#### CONFUTATIO.

##### Obiectio prima.

Testamentum, quod penes testatorem cancellatum re-  
peritur: presumitur per testatorem, uel eius consen-  
su, iussu esse cancellatum. Ang. Ias. & alij in l. si  
unus. C. de testam. text. gl. & Doct. in l. proximè ad  
fin. De his quæ in test. del. Sic enim de creditore  
presumitur apud quem instrumentum debiti can-  
cellatum reperitur. c. ex literis. De fid. instr. l. Lau-  
beo. l. postquam. De pact.



At testamentum nostri casus penes testatorem esse  
 pertum sine sigillo,  
 Presumitur igitur quod consulto & voluntate testato-  
 ris sigillum sit ablatum.

*Obiectio altera.*

Presumptio ducitur à verisimili, i. non est verisimile.  
 Quod met. cau.

At quod aliquis extraneus abstulerit sigillum, non est  
 verisimile; Nam testamenta (præcipue quæ sunt ali-  
 cuius momenti) à testatoribus diligenter afferuari  
 solent. arg. l. locum. & l. fin. De tab. exhib.

Illà igitur ablatio ex necessitate testatori ascribenda est.

*Solutio prior.*

Iura in priore obiectione allegata, locum habent, ubi  
 alià non est præsumptio, qua testator excusetur.

At in nostro casu in cõtrarium fortiores sunt præsum-  
 ptiones: quibus standum est. Vulgò enim traditur,  
 quod præsumptio potentior tollat fragiliorem. l.  
 diuus. De restit. in integr. l. j. C. qui & adner. quos.  
 Et maior verisimilitudo, expellit minorem. Bald. in  
 l. sine possidetis in fin. C. de probat.

Iura itaq; superioris obiectionis locum non habent.

*Solutio altera.*

Verisimilitudo quæ per cõtrarias & fortiores præsuma-  
 tiones eliditur: nihil urget.

At verisimilitudo, de qua in secunda obiectione, per for-  
 tiorem eligitur. Quamvis enim testamenta diligen-  
 ter afferuari soleant: possunt tamen nihilominus,  
 vel per extraneas, vel per domesticas personas testa-

menta

menta contra voluntatem testatoris attentari. Nisi e-  
 nim talia aliquando fierent: lex eum casum nõ prouid-  
 disse in l. j. §. si linum. De bon. poss. secun. tab. Ius e-  
 nim ex facto oritur. l. si ex plagis. §. in cliuo. Ad l. A-  
 quil. Et id ipsum sanè in casu nostro uehemèter præ-  
 sumitur. Facile enim fieri potuit, ut post mortem te-  
 statoris, uel eo in lecto ægritudinis constituto, frau-  
 dulenti homines (qui fortè commodum inde spera-  
 bant) temporis opportunitatem nacti, & custodia lo-  
 cum speculati, sigillum inciderint. Homo enim mali-  
 tia deditus, quid non tentet? Authen. ut hi qui se obl-  
 hab. post prin. Et potest hæc coniectura probabili-  
 bus argumentis adiuari: tum quod testamentum  
 non in suo loco, sed in arcula impertinenti inuen-  
 tum esse dicitur (quæ loci mutatio malitiosum pro-  
 positum indicat. arg. l. 3. §. Neratius in fin. & §. si rem.  
 de acq. poss. fac. l. si ut proponis. 2. C. quomo. & quan.  
 iud.) tum quod tantummodo sigillum ablatum fuit,  
 testamento in reliquis illæso; ne fraudis forte suspi-  
 cio aueretur.

Verisimilitudo igitur, quæ ex aduerso opponitur, nihil  
 habet momenti: cum nihil minus sit credibile, quàm  
 quod testator contra suum proprium factum venire:  
 & suum testamentum in utilitatem eorum, quos o-  
 disse dicitur, & in detrimentum suæ familiæ, nulla ne-  
 cessitate cogente subuertere uoluerit. Nemo enim  
 tam uitam amplecti præsumitur, per quam sua uolun-  
 tas oppugnetur. d. l. 3. De test. mil. Nec præsumitur  
 quis electurus, quod sibi sit incommodum. l. si ita sti-  
 pulatus j. & ibi Bart. & Ias. De uerb. oblig.

SECVN-

*Sigilli ablatione testamenti fidem  
non euerti.*

I. Actus superfluous non nocet, etiam si uitiolose obseruatus sit, l. j. in prin. C. de rei uxo. act.

At in nostro casu sigilli appensio est actus superfluous. Testamentum enim nuncuparium, quod perfecte perfectum est, non indiget sigilli appensione. Nam cum testator coram Notario publico & septem testibus ad eum actum uocatis & rogatis, heredem nuncupat; recte testatus dicitur; testamentumque nuncuparium erit, etiam si nullam scripturam Notarius fecerit; modo per testes res gesta probari possit. Castr. consil. 207.

In nostro igitur casu non nocet sigilli ablatio. text. in l. cum tabula De bon. possess. secund. tab. & ibi Bart. Si enim duobus iunctis alterum sufficit; sublato uno, alterum non tollitur. Alber. l. patre furioso. De his qui sunt sui. Sic si duo Notarii instrumentum exhibent, & alter ut inutilis rejicitur; instrumentum ex persona alterius sustinetur. Bald. in l. Imperator. j. de frat. homin. Sic supernumeraria pecora ab haustru aqua repelli possunt, seruitute appellendi nihilominus in numerarijs conseruata. l. j. §. Trebatius. De aqua quot. & act. Sic quando iudex sufficientes probationes uidet; ex ijs iudicabit, quauis alij adiunctae sint, quae rejici possunt; idem est, si contra litigantem testes producti fuerint, qui plene probent, & simul instrumentum uitiolatum productum fuerit: non

non enim impeditur sententiam ferre ex testibus legitimis. Sic denique, si index duas causas in sententia exprimit; licet altera ut falsa oppugnetur, nihilominus ex altera causa sententia sustinetur. Alex. in l. si is ad quem. De acqu. hered.

II. Testamentum prius rite perfectum, tollitur aut secundo testamento, aut uerbo, aut facto. Quod si secundum testamentum sit, exigitur eadem solennitas, quae in primo testamento obseruata fuit. Instit. quib. mod. test. infirm. §. posteriore. l. facimus. C. de testam. Si uero uerbo reuocatur (ut cum testator dicit se nolle testamentum ualere) ea reuocatio non ualet, nisi cum decursu decennij, d. l. facimus. Si denique reuocatio sit facto (ut cum testator linum uel signa testium incidit, uel testamentum ruperit, aut in locis praedicialibus concellanerit) non dubium est, quin testamentum reuocetur. l. §. si linum. De bon. poss. secund. tab.

At in nostro casu nec posterius testamentum factum; nec ullo uerbo aut facto contraria uoluntas testatoris manifestata est.

Testamentum igitur prius non est sublatum. Proinde quod non mutatur, cur stare non permittitur? d. l. facimus in prin. l. praecipimus. in fin. C. de appell.

III. Quod ex coniecturis legitimis apparet, id manifestum dicitur. l. licet Imperator. De leg. j. l. si quis lo cuples. De manum. test. l. si tutor petitus. C. de pericul. tuto.

At quod testator in casu nostro nec ipse testamentum reuocare uoluerit, nec alij reuocare uolenti consensit,

ferit, per validas coniecturas apparet. Nam certum est, quod & testator sine testamento decedere noluerit: & aliud testamentum tempore mortis non exiterit: & fratris sui hæredes (quos, ut filios amabat) solos sibi hæredes esse noluerit: neptem autem ex sorore, quam oderat, hæreditatis participem esse noluerit: denique quod familiam suam (quæ masculorum agnitione conservatur) propagare voluisse præsumitur. Cuius rei evidens argumentum est, quod in testamento suo ter quaterq; arma & insignia sua in templis affigi mandavit. Arma enim & insignia memoriam defunctorum conservant.

Quod igitur testator testamentum revocare non voluerit, manifestum est.

III. Si casus dubius esset, pro causa tamē testamenti indicari deberet: Nam testamento præcipuus favor debetur c. cum dilecti. De donat. l. in testamentis. De reg. iur. c. ultima voluntas. 13. q. 2. Authen. de nupt. §. disponat. l. si pars; De inof. testam. Nam pro testamento præsumitur quod valeat, nisi contrarium probetur. gl. in l. si post divisionem. & ibi Bart. C. de iur. & fact. ignor. Et ad publicam utilitatē pertinet, ut testamēta conserventur. l. vel negare. Quem ad. test. aper. Nec est recipienda perniciosa subtilitas, per quam contra utilitatem publicam testamenta subverterentur. Debet enim ultima voluntas (si legitima est) dominari & prævalere. Sic enim & imp. vestigia voluntatis testatorum sequitur. l. quidam. C. de necess. serv. hæred. instit.

At casus noster dubius non est: ut qui tot præsumptionibus

nibus iuris & facti communitus sit.

In nostro igitur casu pro testamento iudicandum est.

V. Si instrumentum publicum est sigillatum: sigillo fracto vel ablato, nihilominus fides instrumenti durat. Innoc. in c. inter dilectos. De fid. instr. præsertim si Notarij subscriptio addita sit.

At in casu nostro testamentum in instrumentum publicum fuit redactum: habuitque Notarij subscriptionem, & testes legitimos.

In nostro ergo casu sigilli remotio nihil nocet.

#### CONFUTATIO.

##### Obiectio prima ex oppositis.

Qui sigillum in firmitatem & fidem prudens & sciens appendit: idem frustra tollere non præsumitur: sigillum enim & fidem, & firmitatē literis præbet. c. post cessionem. & ibi Doct. De probat. Innoc. c. j. ad fin. De fid. instr. Et dicit Bal. in c. j. De pac. Constant. sigillum habere vim consensus & confirmationis.

At in nostro casu testator sigillum suum in fidem & firmitatem appendit.

Non igitur frustra id sustulit: sed idē ut testamentum exarmaret. l. nihil tam naturale. De reg. iur. & argumento ab oppositis. l. fin. ad fin. De legat. 2.

##### Solutio.

Quod sigilli appensione non armatur: eius ablatione exarmari non potest. arg. l. decem. ad fin. De verb. oblig.

At testamentum sigilli appensione non armabatur. Nam

quod per se perfectum est, perfectione alia non indiget: quia ea habet, quæ habere debet. gl. l. j. in prin. C. de arbit. At testamentum per se perfectum est. Perfectione igitur non indiget.

Testamentum igitur sigilli ablatione non est exarmatum.

### *Secunda obiectio.*

Qui sigillum apponit, quod poterat non apponeret: censeatur auctoritatem testamenti ad sigilli fidem astrinxisse: sibiq; eam viam elegisse, ut per testamentum signatum testaretur. Vnde merito ei dicitur: viam quam elegisti, tibi pateat. l. si mulier, in fin. Quod met. cau. l. si creditores. De separat.

At testator signum apposuit testamento, quod potuit omittere.

Testator igitur se ad auctoritatem sigilli astrinxit, nec potuit sine iactura testamenti ab ea recedere. l. habebat. & ibi Bart. De institor.

### *Solutio.*

Superflua cautela non nocet. l. testamentum. & ibi Bal. C. de testa. l. si pupilli, §. item si procuratori. & ibi Bart. De neg. gest.

At signi appositio, cautela superflua est. Nec enim testamentum sigilli auctoritate egebat, quod per se tanquam instrumentum publicum perfectum erat.

Signi igitur appositio non nocet. Item,

Qui viam levis alicuius solennitatis in testamento suo adhibet: per id legitimæ probationi, quæ per publicum

blicum instrumentum conficitur, non renunciauit, ut docet Castr. d. consil. 205. ad fin.

At testator leuem solennitatem sigilli adhibuit.

Per sigillum igitur non renunciauit legitimæ probationi. De iur. &

Qui sigillo non est contentus, ad eius fidem se non adstrinxit.

At testator sigillo suo fuit non contentus: nam & coram Notario ac testibus solenniter testari voluit. Testator igitur ad sigilli fidem se non adstrinxit.

### *Tertia obiectio.*

Concellatio uel incisio totum testamenti corpus respiciens: testamentum evertit. l. j. §. pen. Si tab. test. nulli ext.

At hæc sigilli ablatio totum testamentum respexit: nam pro firmamento testamenti fuit appositum.

Igitur & toti testamento nocebit: idque habebitur pro inciso & cancellato.

### *Solutio.*

Aliud est sigillum auferre, aliud incidere & cancellare. l. non codicillum. C. de testam.

### *Conclusio & Decisio.*

Per superscripta concluditur, nec testatorem uideri sigillum remouisse: nec sigilli ablatione testamenti fidem euersum esse.

Duo Corollaria.

Quomodo procedendum sit: competunt autem duæ viæ:

Vna est petitio hæreditatis quo casu hæredes se in testamento institutos probabunt: & hæc via est iuris civilis, habetq; largiora tempora, nimirum 30 annos. l. hæreditatis. C. de petit. hæred.


Altera est petitio bonorum possessionis decretalis: per ostensionem testamenti legitimi, quod nec ratum, nec cancellatum, nec suspectum sit. iuxt. l. fin. C. de edic. D. Adr. toll.

Duo adhuc hæc quaeruntur:

An neptis, quæ testamentum impugnat, legatam amittat. Et dicendum est amittere: testator enim hæc penam impugnati adijcere potuit: gl. fin. in l. fin. C. de fideicom. c. licet. De uoto,

Hæc causa Zasio missa fuit per Balthasarem episcopum Melitensem. postulatorem in Filidesheim, coradiutorem ecclesie Constantiensis.

RESPONSVM TERTIVM Hispanicum, in Materia Testamentaria.



CASVS.

CASVS.

Primò ordinavit & fecit Maioriam (ein Meyerrey) arcis oppidi sui de Alahelos, cum oppidis de Castrelon & Valdefuentes, cum castro de Coca, cum suis terminis, locis, vasallis, & alijs pertinentijs: adiectis trecentis millibus ex ciuitate Hispanicæ & Salamantica.

Deinde in dicta Maioria & summis instituit Fernandum de Fonseca fratrem suum hæredem: ita ut post mortem eius locus sit descendibus eius, sed ita, ut unus tantum in dicta Maioria succedat.

I. Alfonso Archiepiscopus Hispanicus concessit, sibi à Papa & Regibus licentia testandi, anno Domini

M. CCCC. LX. testamentum in scriptis fecit: in quo

M. CCCC. LXII. in quodam instrumento donationis, seriem dicti testamenti repetendo, quodque id nolit renocare, protestando: dicto fratri suo (ut is reditu augetur, donec cederet dies dictæ Maiorix) dedit, cessit, donauit pro dicta Maioria prædictum oppidum de Alahelos, cum suis locis de Castrelon & Valdefuentes, cum omnibus vasallis & pertinentijs: item ducenta millia de iuro.

C 4 II. Perfecta

II. Perfecta  
donatione  
Fernandus  
frater Ar-  
chiepiscopi

Testamentū  
condidit:  
in quo

Testamentum fratris Archiepiscopi, & dictam donationem cum Maioria accepit.

Instituit maiorem filium suum Alfonso de Fonseca & Antonium de Fonseca.

Testamento condito mortuus est, anno M. CCCC. LXIII. in vita fratris Archiepiscopi primi testatoris. Quo casu quoad gradum

Primum institutionis, testamentum, Archiepiscopi cecidit.

Secundum substitutio vulgaris tacita in suo vigore permansit.

III. Cum Archiepiscopus post mortem fratris sui Fernandi circiter decem annos uixisset, nec testamentum suum mutasset, tandem anno M. CCCC. LXXIII. in extremis constitutus, nec amplius articulatus loquens, a medico coram testibus & tabellione interrogatus, nunc respondit ad omnia; inter cetera interrogatus, an uellet suum heredem uniuersalem esse Alfonso de Fonseca nepotem ex fratre Fernando: respondit, ita.

IIII. Mortuo Archiepiscopo, Alfonso nepos ex fratre Fernando apprehendit possessionem bonorum dictæ Maioria, qui cum non haberet filios masculos, sed duas filias Mariam & Maiorem, testamentum condidit, in quo Ma-

riam

riam (quæ senior erat) instituit in Maioria, si nuberet filio fratris sui Antonij; & si non nuberet, instituit alteram filiam minorem natu (Maiorem nomine) æquali conditione, si nuberet filio fratris. Sed neutra impleuit conditionem: nam alij maritis nupsisse dicuntur.

V. Antonius frater alter, & nepos Archiepiscopi ex Fernando, uiuente adhuc Alfonso fratre, à Regibus catholicis petijt Maioriam prædictam sibi post mortem Alfonso decerni, ut qui ad eam ab Archiepiscopo tãquam masculus uocaretur. Citato itaq; Alfonso tãquam legitimo suarum filiarum administratore, uisib; instrumentis & iuribus. Reges catholici ex cõsilio senatorum per sententiam definitiuam pronunciarunt dictam Maioriam pertinere ad Antonium, exclusis Alfonso filiabus; & adiecerunt principes, se ita pronunciare ui dictæ dispositionis, ex certa scientia, proprio motu & de plenitudine potestatis. Quæ sententia executioni mandata fuit: defuncto quæ Alfonso Antonius possessionem apprehendit, bonasq; possedit.

VI. Tandem cum dicta Maria filia Alfonso, ex quodam Marchione filiam Mentiam nomine, legitime suscipisset: casu filia Mentia, cuidam Comiti de Nassau nupsisset: casu præsens iterum in controuersia deducta est. Nam Mentia super prædicta Maioria actionem instituit.

### Questio de iure.

- I. Queritur an supradicta sententia de iure sit ualida. & an obstat dominæ Mentia.
- II. Quid de meritis causæ & monumentis.

## Responsum.

## PRIMA PARS:

*Quòd priori sententiæ, tanquam ueritati standum sit.*

I. Res iudicata habetur pro ueritate. l. res iudicata. De re iud. l. Herennius. §. Caia. De euis. c. in presentia. De reuenc: quod maximè procedit si sententia ante multos annos sit lata, pro ea enim magis presumitur. Bal. in l. emancipatione. C. de fid. instr. Et dicit Ang. consil. 302. ad fin. postquam sententia in rem iudicatam transijt, de eius iustitia, uel iniquitate querendum non esse.

At in nostro casu sententia in rem iudicatam transijt. In nostro igitur casu sententia pro uera habetur.

II. Pro sententiâ Regis catenus presumitur, ut ne appellatio quidē recipiatur. l. j. §. credidit. De offic. pres. pretil. j. C. de li. quod maximè procedit in regibus Hispaniæ, qui non subsunt imperio. ut dicitur in c. Hadrianus. 2. distinct. 63.

At in nostro casu est sententiâ regum Hispaniæ.

In nostro igitur casu appellatio non recipitur.

III. Quæ sententia munita est clausulis pregnantibus: contra eam nemo auditur. Semper enim presumitur iustitia, excluditur omnis ignorantia & error, & item defectus solennitatum.

At in nostro casu sententia clausulis est munita, quòd scilicet reges eam de plenitudine potestatis, motu proprio & certa scientia protulerint.

Contra hanc ergo sententiâ nemo est audiendus.

III. Funiculus triplex difficulter rupitur, c. 1. de treug. & pac. At

At in nostro casu est triplex funiculus: sententia nimium, casus executioni mandata & uictor in possessionem in ductus.

In nostro igitur casu difficile est rumpere.

V. Quod nullam utilitatem potest afferre, id frustra expectatur. l. as in l. talis scriptura. De leg. j.

At secunda sententia in nostro casu nullam utilitatem afferret; esset enim euidenter nulla. l. j. C. sent. rescind. non posse. l. j. C. quan. prouoc. non est neces. l. post sententiam. C. de sent.

Secunda igitur sententia frustra expectatur.

*Obiectio.*

Sententia nulla, non transit in rem iudicatam;

At prior sententia fuit nulla.

Non igitur transijt in rem iudicatam.

*Solutio.*

Per clausulas pregnantes, tollitur omnis defectus nullitatis & alterius cuiuscumque uisij. Decius cõsil. 140.

At in priore sententia sunt clausulae pregnantes.

Sublatum igitur est nullitatis uitium.

## SECUNDA PARS:

*De Meritis causæ, & Monumentis.*I. *De priuilegio testandi.*

Cum in testamento Archiepiscopi fiat mentio priuilegiorum Papalium & Regalium, quibus ipsi facultas conceditur facienda Maioriam suorum castrorum: credo licentiam testandi per hæc illi esse concessam. Nam alioqui uulgari iuris est, Episcopum de rebus post Episcopatum acquisitis testari non posse, 12. q. 5. c. nulli. c. obitum. De pecul.

pecul. cler. Verbum autem Maioræ apud nos instructum est: credo tamen per id intelligi superioritatem uniuersalis iurisdictionis (quæ in terras & personas subiectas exercetur) & uniuersalem præminentiam, *Hohe Oberkeit*; qua ordinaria gubernatio, ac quasi præfidatus, uerumq; dominium continetur. Varijs enim modis maioritatem sumi, patet ex Abbate in c. statuius. De maior. & obed.

## II. De hæredis institutione, obscura & conditionali.

I. Hæredis institutio obscura est: quia in articulo quodam hæc uerba habentur: Fratri Fernando de Fonseca cedo, do, dono, & in eum trãsero totam Maioriã & quamlibet eius partem: & si necesse est, instituo eum hæredem in ea, &c. Nam hæc obijci possent.

Actus contrarij, non præsumuntur uno & eodem tempore fieri. Calder. consil. 10. De usu.

At dare, donare, & hæredem instituere, sunt actus contrarij. Nam dare & donare translationem dominij significant. l. ubi autem. §. fin. De uerb. obl. l. si ita. §. fin. De contr. empt. At hæredis institutio, sicut & uoluntas testatoris, ambulatoria est, l. quod si. De adm. leg.

Donare ergo, & hæredem instituere, non præsumuntur uno tempore fieri.

Sed respondendum est, huiusmodi uerborum inculcatione, dispositionem testatoris, fratrem instituere uolentis, non uitiari. Nam,

Cum constat de mente, nõ curamus uerba superflua.

Nec enim nouum est, quòd Notariorum (quorum imperitia

imperitia mūdum destruit, ut dicit Bald. consil. 5.) non curantia sæpè uerba inculcantur quæ sunt, uel superflua, uel impertinentia, uel impropria. Quæ inculcatio cum inutilis sit (ut uoluere gl. Bart. & Doct. in l. lecta Si cert. pet.) fit ut superflua reijciantur: impertinentia improprietur: ne testatoris uoluntas aut dispositio uitiatur. His accedit, quòd nec lex, nec ratio legis frustratorias & superfluas demonstrationes curet, ut dicit Ias. l. j. De lib. & posth.

At in nostro casu constat de mente testatoris, quòd scilicet testamentum in scriptis facere uoluerit; id quod ex uerbis ipsius constare potest.

In nostro igitur casu nõ curamus uerba superflua: sed præsumimus quòd testator nec dare, nec donare, nec transferre, sed hæredem instituere uoluerit.

II. Adhuc obstat nodus ex cõditione institutionis. Nam, Condicio, quæ reddit hæredem dubiũ, facit testamentum cadere. l. hæres institutus. De acquir. hæred.

At Archiepiscopus fratrem sub conditione (si ita necesse est) instituit: quæ conditio hæredem dubium reddere poterat, an adiret nec ne.

Quo casu testamentum cecidisse uidetur.

Sed respondendum est:

Conditio in præsens tempus collata, non suspendit dispositionem. l. cum ad præsens. Si cert. pet. Instit. de uerb. obl. §. cõditiones. Itaq; hoc solum inspicitur, utrum uera sit, an falsa.

At hæc cõditio (si ita necesse est) in præsens tempus est collata: ideoq; planè uera est: quia cum Archiepiscopus testamentum condere, & fratrem hæredem facere



facere uellet, necesse erat ut titulo institutionis id faceret. Instit. de legat. §. ante hæredis.

Hæc igitur cõditio nõ suspendit dispositionem. Item, Cõditio institutioni superflue apposita, pro non adiecta habetur. l. talem. in prin. De hæred. instit. l. hæc uerba. De leg. j.

At hæc cõditio institutioni superflue uidetur adiecta ex imperitiis Notariorum.

Cõditio igitur ista pro non adiecta habenda est.

### III. De testamenti caducitate.

Testamentum alia obiectione impugnari uidetur posse: Nam,

Cum hæres institutus, ante testatorem moritur: testamentum fit caducum. l. j. §. pro secundo. C. de cad. toll.

At in nostro casu hæres mortuus est uiuo testatore.

Testamentum igitur uidetur caducum esse factum, & inutile quoad institutionem.

Sed non obstat illa obiectio: Nam,

Compendiosa substitutio uulgarem tacite comprehendit. Bart. & Doct. in l. centurio. De uulg.

At Archiepiscopus fratris sui descendentes substitutione compendiosa substituit per uerbum (habeat) quod est commune, secundum las. in d. l. centurio.

Archiepiscopi igitur substitutio compendiosam tacite continet. Itaque testamentum, deficiente primo gradu institutionis, à secundo gradu uulgaris substitutionis effectum habere cepit. Bart. & Doct. in l. j. cod.

Hoc nõ est pretereundum: quod institutio illa, omnia bona ad se trahat: Nam,

Hæres

Hæres in re certa institutus, nullo cohærede dato: uniuersalis hæres efficitur. l. j. §. si ex fundo. De hæred. instit. Et Corneus in consil. 397. tenet, quod etiam substitutio in re certa facta, trahatur ad totam hereditatem.

At in dicto testamento certa tantum bona Archiepiscopi continentur, in quibus Fernandum & ipsius descendentes instituit.

Illä itaque institutio omnia alia testatoris bona ad se trahit.

Sed dubitationis est, an post mortem Archiepiscopi descendentes Fernandi ex prædicto testamento hereditatem adierint. Nam si non adierunt, testamentum sine dubio cecidit. l. eam quam. l. ex testamento. C. de fideicom.

### III. De instrumento donationis, in quo iterum perplexitas incidit: Nam,

Si Archiepiscopus non uult renouare testamentum: cur titulum institutionis in testamento factum, mutauit in titulum donationis? Item si dies Maioræ nondum cessit, quid operatur donatio?

At arces & oppida de Alahelos, & alia in quib. fratrem instituit in testamento, postea eidem & filijs, & masculis donauit.

At testamento igitur recessit, quod tamen ratum se habere initio professus est. Et quomodo testamentum & donatio simul stabunt? cum testamentum uiuente testatore non obliget. Paulus ad Hebr. ca. 9. At donatio mox obligat.

Equidem aut ista nõ intelligo, aut ineptissime per Notarios

rios

rios confusa sunt; quæ cōfusio & obscuritas nisi tollatur, totam donationem vitabit. Nam, scriptura, quæ eatenus obscura est, ut intelligi non possit, pro nihilo est, arg. l. duo sunt Titij, De test. tut. l. in lege. De cōtr. empt. Sed ut deamus an donationis instrumentum possit ad sanum intellectum reduci. Et certe si diligenter inspicimus rem, videmus in testamento plura contineri, quàm in donatione sequenti. Nam,

I. Maioria testamenti non solum arces & oppida de Alahelos, de Castrelon, & Valdefuentes: sed etiam castrum de Coca, & 300 M. completitur.

At donatio sequens pro Maioria in testamento relicta, Maioriam oppidi de Alahelos, de Castrelon, & Valdefuentes: & 200 M. de loro continet.

Donatio igitur sequens minus continet quam testamentum: Nam castrum de Coca & 300 M. ex civitate Hispalensi, & Salmantica in instrumento donationis non nominantur.

II. Testamentum licet in rebus certis hæredes instituerit; omnia tamen alia bona ad se traxit: quod non est in donatione.

### Obiectio.

In dubio potius identitas quàm pluralitas, & res potius eadem, quàm multiplicata præsumitur. Bart. & alij in l. si quis seruum. §. si inter duos. De leg. 2. idem in l. triticum. De verb. oblig.

At in nostro casu dubium est, an pecunia in testamēto descripta, eadem sit, quæ postea donata fuit.

Eadem ergo esse præsumitur.

Respon-

### Responſio.

Hæc regula non procedit, cum diuersitas summarum, in diuersis instrumentis cōtentarum, aliud exigat: quod latè prosequitur Alex. consil. 4. parte j.

At in nostro casu diuersa sunt instrumenta.

In nostro igitur casu regula locum non habet.

Per prædicta non obstat quod Archiepiscopus in principio instrumenti donationis protestatur se testamentum ratum habiturum: quia id intelligendum est de ijs bonis, quæ in instrumento donationis non sunt expressa, ut sunt castrum de Coca, & 300 M. Hic intellectus necessarius est recipiendus. Nam,

Intellectus, per quem repugnantia donationis & testamenti præcauetur, & utraq; dispositio in tuto collocatur, est necessarius recipiendus l. quoties. de rebus, dab. Bal. in l. scripturæ C. de si. l. instrum.

At per nostrum intellectum res est in tuto,

Noster igitur intellectus necessarius est recipiendus. Itē, Non est nouum quod sermo generaliter prolatus, etiam si propter casus exceptos restringatur, nihilominus tamen in non exceptis uerificatur. l. alimēta §. basilicæ. De alim. leg. fac. l. cohæredi §. qui patrem. De vulg. & pupil.

At in nostro casu est sermo generalis.

Id ergo in non exceptis uerificatur.

V. De testamento Archiepiscopi posteriore, quod ad interrogationem alterius animam agens fuisse dicitur: an scilicet ualeat.

Communis opinio est, sufficere si testator ad interroga-

D tionem

tionem alterius consentiat. Gl. in l. iubeamus. C. de testa. per l. hac consultissima. §. at cum humana. C. qui test. fac. poss. Et hæc opinio in iudicijs & scholis communiter observatur, ut dicit Ang. in d. l. iubeamus. Sed tamen in casibus quibusdam hoc non procedit. I. Si testator articulatus loqui non posset, ut docet Ias. in d. l. iubeamus, in fin. II. Si testator animum testandi non habuit, isque qui interrogat, non sit per testatorem rogatus ad eum actum explicet. III. Si præsumptio sit infirmum ad placitum eorum qui præsentés sunt, aut ad eorum importunam instanciam interrogari. Et sic eam opinionem temperarunt Doctores. Hinc contra posterius testamentum quadruplici iudicio concludi potest.

I. Ut interrogati ægroti responsio valeat, necesse est ut is articulatus loqui possit: & ut interrogetur ab ijs qui eius rei causa sunt præsentés.

At Archiepiscopus testator articulatus loqui non poterat: nec fuit ab ijs interrogatus, qui eius rei causa præsentés fuerant: sed à medico.

Archiepiscopi igitur responsio nil valet.

II. Quod fortius est, per debilius tolli non potest: id quod ex naturali ratione colligitur.

At prius testamentum fortius est, quam posterius: illud enim iure communi roboratum fuit: hoc vero opinionibus doctorum receptum est. Nam ius commune necessariam facit veritatem: at opiniones tantum probabilem. Doct. in l. j. ad fin. Si cert. pet.

Prius igitur per posterius debilius tolli non potuit.

III. Si prius per posterius tolleretur, duo specialia concurrerent:

currerent: tum quod testamentum ex interrogatione alterius enatum, sustineretur: tum quod prius testamentum iure roboratum ex voluntate consideret.

At non debent duo specialia concurrere: iuxta ea quæ not. in l. j. C. de dot. promis.

Prius ergo testamentum per posterius non tollitur.

III. Cuilibet in sua arte perito credendum est.

At Paul. Castr. consil. 367. & Laur. Calcân. in consil. 91. volunt testamentum ad alterius interrogationem factum, non prævalere priori iure facto.

His ergo credendum est.

Vnde concludo intrepidè, propter testamentum præcedens, posterius non valere: cum nemo prius cū duobus testamentis possit decedere.

#### DECISIO.

I. Quoad donationem Maioræ: quod in eâ defendendus sit Antonius contra Mentiam.

In verbis clavis non est discipandum. l. ille aut ille. §. fin. l. non aliter De leg. 3. l. cõtinuus. §. cum ita. De verb. obl. c. præterea. in fin. De verb. signif. Nec ferendus est, qui rem claram cõtrouertere pergat. l. quicquid de verb. oblig.

At quod Maioria dictorum castorum & oppidorum Alahelos, Castrelon, & Valdefuentes, & cum summa adiecta ducentorum millium de Inro, titulo donationis collata sit in Fernandum fratrem Archiepiscopi, & ipsius descendentes ex linea masculina:

linas instrumento donationis expressè cautum est. Non igitur dubitandum est; præsertim cum geminatio accedat. Nam,

Geminatio euidentem uoluntatem ostendit, ut dicit Francif. Curt. consil. 63. & 65 Fac. l. balista. Ad Trebell. Archidia. c. ab eo. De appel. lib. 6.

At cum Archiepiscopus in fratrem & descendentes masculos donationem conferret, non contentus uerbis simplicibus, eam demonstrationem quadam epitasi geminauit, cum inquit, per lineam rectam masculinam, &c.

Ea igitur demonstratione euidentem uoluntatem demonstrauit.

### Obiectio I.

Clausula generalis generaliter intelligenda est.

At in instrumēto donationis est clausula (& in omnes alios ad quos dicta Maioria peruenerit) quæ est generalis.

Generaliter igitur intelligenda est.

### Responsio.

Per uerbum (alij) intelliguntur agnati masculi. per gl. c. sedes. De rescript. gl. c. pastoralis. cod. tit. clem. nō potest. De procur. Vel certè Archiepiscopus per ea uerba significare uoluit, quòd deficientibus masculis, etiam ad feminas suæ cognationis bona eiusmodi peruenire debeant. Nec enim præsumi potest quòd deficientibus masculis, donator huiusmodi bona ad extraneos potius, quàm ad suos necessarios deuolui uoluerit: cum nemo alienam posteritatem suæ cognationi præferre præsumatur. arg. l. cum

cum acutissimi. in fin. C. de fideicom. l. generaliter. §. fin. C. de instit. & subst. l. cum auus. De condit. & demonstr. Itaq; nō est otiosum, quòd Archiepiscopus cum in instrumento donationis masculos nominasset, etiam alios adiecit. Nec enim uerba quæ aliquid operari possunt, debent esse superflua. l. si stipulatus. De usur. l. si quando. De leg. j.

### Obiectio II.

Quamdiu per descendentes in stirpe succeditur, collateralium successio locum non habet.

At in nostro casu per descendentes successum est. Nam Alfonso ex testamento Fernandi patris sui in Maioria successit.

In nostro igitur casu collaterales locum non habent: & propterea Mentia neptis Fernandi potius ad hæreditatem admitti debet, quàm Antonius patruelis.

### Responsio.

Prouisio hominis facit cessare prouisionem legis. l. fin. C. de dot. promiss.

At in nostro casu est prouisio testatoris. Quamuis enim Alfonso solus patri Fernando tanquam maior natu pro moribus Hispanorum successerit: non tamen is solus, sed & frater Antonius à Fernando patre hæres est institutus.

In nostro igitur casu cessat prouisio legis: mortuo Alfonso frater tanquam masculus admittitur, exclusis feminis. Hoc enim principalis dator uoluit.

### Obiectio III.

Mixtis conditionibus est satisfaciendum.

In Alfonso testamento est mixta conditio: nam filias suas sub mixta conditione alternatim instituit, si filio fratri nuberent.

Illi igitur conditioni est satisfaciendum.

*Responsio.*

Quod inutile est, non est attendendum. Ias. in l. talis scriptura. De leg. j.

At istæ cōditiones sunt inutiles: tum quia satisfieri de iure canonico non potuit, fuerant enim illicitæ: tum quòd, etsi satisfieri de iure ciuili potuisset. Infit. de nupt. §. duorum. l. j. & 2. C. de instit. & subst. adhuc tamen filia ob donationem excluderentur: nam Maioria titulo donationis in Fernandum colata ad solos masculos pertinebat.

Istæ igitur conditiones non sunt attendendæ.

Quæ cūm ita sint: iure & veritate exigente concludo, Antonium tanquam descendentem masculū præferri in ista Maioria: & exclusam domina Mentia in possessione iuxta rem iudicaram olim latam & executioni mandatam, defendi debere.

II. *Quoad bona reliqua Archiepiscopi, uidelicet Maioriam, castri de Coea, & trecenta millia: aliq; bona eiusdem, quæ in testamento inclusa remanserunt: quòd scilicet Antonius simul & Mentia in his succedere debeant.*

I. Verba testamenti generalia, generaliter sunt intelligenda. l. j. §. generaliter. De leg. præst.

At

At in nostro casu uerba testamenti sunt generalia: Testator enim omnes descendentes sine limitatione uocauit.

Generaliter igitur sunt intelligenda.

II. Verba geminata & prægnantia, constantem & perseverantem uoluntatem indicant. Curt. consil. 49. 65. 68.

At in nostro casu sunt uerba geminata & prægnantia. Testator enim in præfatione donationis dixit, se fratri suo Fernando, filijsq; eius descendentes, pro nunc & semper in testamento designasse, &c. Quibus uerbis descendentes iteratò indeterminate, & sine limitatione adduxit: & uerba prægnantia (nunc & semper) adhibuit. Præcipuè enim uerbum (semper) perpetuitatem significat, ut tradit Soccin. consil. 11. qui allegat. l. j. Sol. matr. l. seruitutes. De seruit. l. humanitatis. C. de impub. & al. substit.

In nostro igitur casu constans & perpetua testatoris uoluntas præsumitur.

III. Voluntas eadem præsumitur, nisi mutata probetur. l. cum qui. De probat. l. lucius. De leg. 2. l. cum his status. §. j. De donat. int. uir. & ux.

At in nostro casu uoluntas non probatur mutata.

Cur igitur non stare præsumitur? sancimus. C. de testat. l. præcipimus. C. de appell.

*Obiectio I. de restrictione generalitatis.*

Restrictio in posteriori dispositione facta, intelligitur

D 4 repetita

repetita in priori dispositione. Nec enim novum est, quod ex sequentibus præcedentia declarentur & restringantur. Abb. consil. 37. volum. j.

At in nostro casu est restrictio in posteriore dispositione. Nam cum Archiepiscopus in primo testamēto Fernadum & eius descendentes in genere hæredes instituisse; postea in instrumento donationis aperte declaravit, quod Fernando & eius hæredibus masculis per lineam masculinam descendentibus provisionem fecisset.

Ista igitur restrictio intelligitur repetita in priori dispositione; & sic videtur Mentia in totum exclusa.

#### Responsio.

Si refragatur voluntas auctoris & diversa utrobique ratio est, tum restrictio in diversis scripturis non intelligitur repetita. Bart. in l. prætor. §. citi. hęc differentia. De vi bono rapt.

At in nostro casu satis constat voluntatem testatoris refragari, ut supra declaravimus.

In nostro igitur casu restrictio nō intelligitur repetita.

#### Obiectio II. de graduum imparitate.

Proximior gradu, excludit remotiorem. Auth. post fratres 2. C. de legit. hæred.

At Antonius proximior est gradu quàm Mentia. Is enim testatorem tertio gradu contingit, cum eundem Mentia quinto gradu contingat.

Antonius igitur excludet Mentiam.

#### Responsio.

Descendentes hæredis, succedunt ei; cohærede excluso.  
Nam

Nam post aditam hereditatem, cessat ius succedendi: & hæredes utuntur iure auctoris sui, c. is qui in alterius. De reg. iur.

At Mentia est ex descendentibus hæredis, nimirum auctoris sui Alfonso, iura transmissionis.

Mentia igitur succedit auctori Alfonso, non testatori Archiepiscopo. itaque auctori sui iure utitur. Nam cum Fernando à fratre Archiepiscopo hæres institutus, vivo testatore mortuus esset: bona testatoris ad filios Fernando Alfonso & Antonium devoluta sunt: & per consequens ad Alfonso filias & neptes.

#### Itaque,

In re ambigua benignior & æquior decisio est præferenda. l. in ambigua. De ll. gl. in l. Ne sennius. De negot. gest.

In casu nostro res est paldè ambigua.

In nostro igitur casu benignior & æquior decisio est, ut in bonis Archiepiscopi, donatione non comprehensis, masculi & feminae ex pari admittantur, hoc est, pro dimidia Antonius, pro dimidia Mentia. l. cum quaestio: in fin. C. de legat. l. legata. §. fin. de legat. j. nisi forte sint bona, quæ ad ecclesiam pertineant. c. j. c. inquirendum. De pecul. cler.

Sed cum in Maioria castri de Coca, eiusque iurisdictione & dominatu, feminae non sint capaces quamdiu extant masculi: cumque maximè ex dispositione testatoris unica tantum persona gubernare debeat: quomodo dictum castrum dividetur? Et dicendum est, æstimatione partis vel ad iudicationibus ei rei consulendum esse.

ANALYSIS CONSIL.  
 RESPONSVM QVARTVM,  
 De successione liberorum frater-  
 norum in hæreditate  
 patruī.

C A S V S.

N. Comes de Lupfen.

Sigismundus: mortuus sine hæredibus: de cniis bonis quæstio est.	Henricus	Helena	Petrus Baro
			ab Hebmen.
	Reliquit no- uem liberos.	Georgius Baro ab Hebmen.	

**C**ontrouersia fuit inter liberos Generosi domini Henrici de Lupfen, & inter filium sororis eius Helenæ ob hæreditatem generosi domini Sigismundi de Lupfen patruī defuncti. Putabat enim filius domine Helenæ Baro ab Hebmen in stirpes loco parentum succedi debere: è diuerso liberi domini Henrici successio- nem in capita defendunt.

*Quæstio de iure.*

Queritur igitur utrum, in capita, an in stirpes succedat in nostro casu fiat.

*Responsum.*

C O N F I R M A T I O :

Quòd in hoc casu succedatur in capita,  
 non in stirpes.

In hac materia duæ diuersæ opiniones dissentientium Doctorum olim fuerunt. Nam Azo præceptor Accursij, successio-

successionem in capita fieri uoluit. Accursius è contra in stirpes succedi dixit, quæ opinio diu communis fuisse dicitur. Olim quidem de iure Digestorum & Codicis constitutum fuit, ut in collateralibus propior in gradu, alijs cognatis remotioribus in successione preferretur. l. iureconsultus. in prin. De grad. affin. Instit. de legit. agn. success. §. si plures. l. 3. ad fin. C. de legit. hæred. & l. post consanguineos. §. hæreditas. De suis & legit. l. j. §. si quis. Unde cogn. l. auunculo. C. commun. de success. Itaque si defunctus fratrem, & fratris filios reliquisset: frater potior erat, uocabaturq; ad hæreditatem fratris defuncti, ceteris fratrum filijs exclusis, d. §. si plures. Verùm hodie si defunctus relinquat fratrem & fratris præmortui filios: hi fratris filij (etiam si sint uno gradu remotiores, quàm frater defuncti) ex speciali priuilegio succedunt cum fratre defuncti in stirpes: ita ut in locum parentum intrent. Authen. de hæred. ab intest. §. si autem defuncto. & §. huiusmodi uerò. Si uerò tantum fratris & sororis præmortuorum filij supersint, qui ad patruī hæreditatem pari gradu uocantur: hæc successio non in stirpes, sed in capita fit, ut hæreditate pro succedentium numero diuisa, cuilibet capiti æqua portio pro uirili assignetur. Itaq; huius responsi summam iudicio syllogismi comprehensam, initio præponemus.

Liberi

Liberi duorum fratrum  
succedūt in patriæ ha-  
reditate in capita, ut  
uoluit Azo: nō in stir-  
pes, ut uoluit Accur-  
sius. Huius proposi-  
tionis hic est prosyl-  
logismus:

Si in hoc casu clarus textus ha-  
beat: & Accursianorum  
argumenta nihil mouent:  
& si ueritas neq; autoritate  
glossæ, neq; communi tolli  
potest: sequitur Azonis opi-  
nionem esse sequendam.

Sed primum uerum, quod do-  
cent quatuor testimonia in  
ris.

Verum igitur & secundum.

At in nostro casu sunt liberi fratris & sororis.

In nostro igitur casu succeditur patrio in capita se-  
cundū Azonem.

I. In l. j. ff. Si pars hæred. pet. dicitur: si defunctus reliquit  
fratris filium & uxorem alterius fratris gravidam: fratris  
filius certam partem hereditatis uendicare non potest,  
quod incertum sit, quot liberos fratris uxor paritura sit:  
scilicet quod eisdem liberis si nati fuerint, successio per  
capita competet.

II. In l. post consanguineos. §. hereditas. De suis & legit.  
dicitur: si plures sint eiusdem gradus, omnibus heredita-  
tem cōpetere: ut si defunctus habuit duos patruos, quo-  
rum unus unum, alter duos filios reliquit: hereditas in  
tres partes diuiditur.

III. In successione collateralium, ubi soli collateralis  
succedunt, nūquam succeditur in stirpes, sed sem-  
per in capita: eo solo casu excepto, quo fratrum fi-  
lij cum fratribus in locum parentum admittuntur.

Instit.

Instit. de legit. agnat. succes. §. hoc etiam. in fin. d.  
l. post consanguineos. §. & si plures. & l. lege. & l.  
fin. C. de legit. hære. Quæ maximè uera sunt si sit  
inter hæredes paritas gradus.

At in nostro casu in filiis fratrum est par gradus.

Consequitur igitur necessariò ut in capita non in stir-  
pes succedant. Vbi enim est casus legis, ibi nulla  
est dubitatio. Bal. in l. ancillæ. C. de furt.

III. In Authenticis in tit. de hæred. ab intest. §. si au-  
tem defunctus. & §. huiusmodi, cum seq. collat. 9. cum  
Imperator fratrum filijs indulisset, ut cum *deius* defun-  
cto succederent: postea in §. huiusmodi: subiicit: huius-  
modi uerò priuilegium in hoc ordine cognationis soldm  
probemus fratrum masculorum & fæminarum filijs aut  
filiabus, ut in suorum parentum iura succedant: nulli alij  
omnino personæ ex hoc ordine uenienti hoc ius largi-  
mur. Sed & ipsis fratrum filijs tunc hoc beneficium con-  
ferimus, quando cum proprijs *deius* masculis & fæminis  
(sive paterni, sive materni sint) uocantur. Itaq;

Si hoc priuilegium nulli alij personæ in ordine colla-  
terali quàm fratrum filijs tunc, quando cum *deius*  
succedunt, datur: quid potest esse absurdus quàm  
eum textum cōtra uerba ipsa ad filios fratrum, ubi  
sine patruis proprio iure ad hereditatem uocātur,  
detorquere & extendere? Nam uerba præcidentia,  
omnem detorsionem & extensionem respuunt. l.  
si ijs. ad fin. De cōdit. & demonstr. gl. c. cum in eun-  
ctis. De elec. & in c. ex parte. j. De off. deleg.

At in d. Authentica nihil clarius dicitur, quàm hoc  
priuilegium in ordine cognationis collateralis so-  
lum



lum fratrum filijs tunc, quādo cum proprijs *deiorib;* id est, patris uocantur, esse indultum. Nam dictio TVNC, præcidit & taxat ad extremitatem temporis.

Hæc ergo Authentica constitutio sola litem dirimere & uelut Achilleum argumentum, erroneam uogatoriāque Accursianorū opinionem labefactare potest.

#### CONFUTATIO Accursianorum.

##### I. Obiectio.

Si fratrum filij, *deior;* id est, patris defuncti præponuntur: necesse est ut in locum parentum succedant: nec enim eidem patris magno præferrentur, nisi in locum parentum intrarent: quia utrobique est tertius gradus.

At illud dicitur in Authen. de hæred. ab intest. §. illud palam.

Hoc ergo necesse est.

##### Responsio.

Separatorum separata est ratio. l. j. in fin. De calum. At in d. Authen. est casus omnino à nostra controuersia separatus. Nam privilegium seu beneficium quod Imperator filijs fratrum dedit, tum locum habet, quando cum proprijs *deior;* scilicet cum fratribus defuncti uocatur. At in d. §. illud palam. dicitur de patris magno, qui est frater patris defuncti: cui filij fratrum præferuntur; idque sine dubio: sicut & Imperator ipse innuit, cum id ait palam esse: quasi dicat hunc casum non egere privilegio cum per se sit manifestus.

fratris. Quod autem filij fratrum patris magno præferantur: ratio est quod naturæ quodam ductu in successione collateralis facilius descenditur quam ascenditur. Infit. de legit. agnat. success. in fin.

Ergo d. Authentica. §. contra nos nihil infert.

##### II. Obiectio.

Si post fratres & fratrum filios, pares in gradu pariter admittuntur: sequitur ut fratres & fratrum filij à pari successione eximantur.

At illud: ut dicitur in Authen. post fratres, C. de legit. hæred.

Ergo & hoc.

##### Solutio.

Dicta authentica non simpliciter, sed sub limitata relatione intelligenda est. Imperator enim illic fratres, & fratrum filios non simpliciter repetiuit, sed ita, ut de ipsis in præcedentibus uerbis Authenticorum locutus fuit.

At in præcedentibus uerbis in suo privilegio de fratribus & fratrum filijs coniunctim locutus est.

Hic igitur etiam coniunctim de his locutus censetur: cum terminus relatus sit in referente. l. ait prætor. §. j. De re iud. l. ase toto. De hæred. in fit.

Sed nõ est noua querela, quod Irnerius iura Authenticorum non ubique fideliter transcripserit. Sic enim taxatur ab Accursio in Authen. cessante, & in Authen. defuncto. in fin. C. ad S. C. Tertul. & à Corneo in 4. consilio, primæ partis.

##### III. Obiectio.

## III. Obiectio.

Iura correctæ nihil profunt.

At allegata iura ciuilia per nouissimas Authenticorum constitutiones sunt correctæ per d. §. illud palam. & d. §. si iterò nec fratres.

Nihil ergo profunt.

## Solutio.

Legum correctio est strictissimi iuris: ita ut ius nouissimum Authenticorum ad correctionem iuris antiqui extendere non possimus, nisi in casibus à iure expressis. B. l. consil. 90.

At nullus usquam casus est expressus, qui iura ciuilia hoc loco corrigat.

Quomodo igitur allegari potest correctio? cum iuris correctio sit uitanda, & potius iura concilianda. gl. & Doct. in l. j. C. de inoff. dot. c. cum expediat. De elect. lib. 6.

## IIII. Obiectio.

Si fratrum filij, cum patruo in stirpem succedunt, sed ipsi inter se in capita: accidet ut una successione in stirpes & in capita succedatur.

Sed hoc absurdum.

Illud igitur.

## Solutio.

Hæc obiectio apertè falsa est. Nam una est successio quando filij fratrum cum patruo in stirpem successerunt: in stirpem enim successisse, non simul etiam in capita dicuntur.

## V. Obiectio.

## V. Obiectio ex autoritate Glossæ.

Quod glossa Accursij dicit, id oraculum in iure est. Nam Alex. de Imola. consil. 10. & post eum And. Barbatias glossam cunctis propemodum doctriis præferunt: & ait Bart. in l. ut uim. De iust. & iur. glossæ autoritatem maiorem esse quam omnium Doctorum.

At fratrum filios in stirpes succedere glossa dicit. Id ergo Pyrhij Apollinis oraculo uicinus est.

## Responsio.

Vbi est textus expressus, ibi non curatur glossa. Vbi enim est textus legis, ibi nulla est dubitatio. Bal. in l. ancillæ. C. de furt. & glossa nullam nobis necessitatem imponit cum sit tantum probabilis. Bart. in l. j. Si cert. per.

At fratrum filios in capita succedere textus ait.

De hoc igitur non est ulla dubitatio. Item,

Quod in actu legendi ualet, ualet & in actu iudicandi. Quid enim interpretes legendo aliud faciunt, quam bonus & peritus iudex iudicando? Vtrobique enim boni & æqui noticiam profiteamur, æquum ab iniquo separantes. l. j. De iust. & iur. Et in iudicando ad leges, earumque interpretationes respicere necesse est. l. nemo. C. de sentent.

At in actu legendi seu interpretandi legem, autoritas seu dignitas glossæ non attenditur. Bal. in l. si quis ad declinandam. C. de episc. & cler.

Cur igitur in actu iudicandi tanta est glossæ autoritas? nonquid & legentis, & iudicantis fides est ueritas?

VI. *Obiectio: de communi opinione.*

Communis opinio sequenda est in iure.

At fratrum filios in stirpes succedere, est communis opi.

Id igitur sequendum est.

(no.

*Responsio.*

Si Imperator ex autorum multitudine (quibus tamē iuris condendi fuit autoritas) iudicari prohibuit: multo certē minorem autoritatem Doctorum opiniones habebunt, quæ absq; textu ne probabilem quidem assertionem merētur, & sæpenumerō plus improvidæ sectæ, quàm veritatis habent.

At Imp. in l. j. §. sed neq; C. de iur. vet. enucl. eleganter vetat ex multitudine autorum iudicari: cū possit unius forsan & deterioris sententia multos & maiores in aliqua parte superare.

Doctorum igitur opiniones parum autoritatis merentur. Item,

Vbi iuris civilis textus sunt evidentissimi, nihil loci est opinionibus. Veritas enim iuris non ex opinionibus, sed ex legibus æstimanda est: cum notissima sit Imp. nostri constitutio, quæ non exemplis, sed legibus indicandum esse ait. l. nemo. C. de sentent.

At in nostro casu sunt textus iuris evidentissimi.

Ergo nihil hîc loci est communibus opinionibus.

*Alia argumenta, quib. confirmatur successio in capita:*

*Supra enim textuum testimonio res comprobata*

*est: sequuntur rerum argumenta, non legum uoluntates.*

I. Imperator fratrum filijs in privilegium, & ex speciali beneficio

beneficio cōcessit, ut cum patris succederent in casu necessitatis: ne à patris, qui defuncto propiores sunt, excludantur. d. §. huiusmodi uerō.

At in nostro casu nulla est eius casus necessitas: cū filij fratrum inter se proprio iure ueniant, nec ab alijs excludantur.

In nostro igitur casu nō attenditur privilegium, quod nec ad nostrum casum extendi potest.

II. Filij fratrum ex prædicto beneficio succedentes, in locum parentum uocantur, ne remotiores gradu cū propioribus cōtra successionis collateralis seriem admittantur, & patris iniuria fiat: id quod ciuili quodammodo necessitate conueniens est ex sententia Alber. in d. Authen. cessante.

At in nostro casu hæc omnia cessant: cū filij fratrum inter se succedendo parētum suorum adminiculo non egeant, & ipsis ius propriæ & naturalis successions abundē sufficiat.

In nostro igitur casu cessat privilegiū seu beneficium supra dictum. Nam cessante causa privilegij, restit & privilegium cessabit: cū in privilegij realibus potius causa, quàm persona inspiciatur. Bal. in Marg. per Innoc. in c. j. De rescrypt.

III. Privilegium extenditur tātum ad cogitata. gl. c. dudum. De elec. Et ait Card. c. j. De testam. quōd quādo ius aliquod promulgatur per modum privilegij, nullo modo suum casum egrediatur. Eū uulgō dicitur effectum idē induci ut remouetur defectus.

At Imperator de nostro casu nō cogitauit. Nam in suo

privilegio causam duntaxat necessariam inspicere uoluisse præsumitur: cum in necessitatibus nemo sit liberalis. l. rem legatam. De adm leg.

Ad nostrum igitur casum privilegium non extenditur. Cum enim effectus dicti privilegij, defectum qui extabat remouerit, ad quid præterea extendetur?

III. Si casus noster dubius nec lege decisis esset: adhuc tamen fratrum filij suo potius, & proprio quàm alieno iure parentibus succedere intelligerentur. Nam in dubio actus præsumitur proprio potius quàm aduentitio iure fieri. Bart. in l. j. De solut. l. si filius. in fin. De in rem. uers. & alioqui naturam potius, quàm aduentitij casus qualitatem inspicimus. gl. in l. uendicatio. De rei uend.

At casus noster dubius non est.

Facilius ergo fratrum filij suo iure succedere intelliguntur.

V. Qui iure communi tutus est, non eget privilegio. l. j. C. de thesau. lib. 10. l. cū interdix. §. j. C. arb. tut. Et extraordinarium remediū (quod in subsidium introductum est) non concurret cum ordinario. Bart. & Bald. in l. in causis. 2. De minor.

At fratrum filij in casu nostro iure communi & proprio sunt tuti.

Itaque non est necesse, ut eis aliquo privilegio subueniatur.

VI. Iura multis uigilijs & laboribus excogitata, nõ præsumuntur

sumuntur faciliè sublata esse. l. si quando. in prin. C. in off. testa.

At ius de successione filiorum fratrorum multis uigilijs est excogitatum per Imperatorem.

Non igitur præsumitur Imperatorem, id tam faciliè sustulisse.

VII. Qui aliquid in beneficium dedit: non creditur concessum & incōtinenti id in damnum commutasse. l. non ad ea. De cond. & demonstr. Nemo enim eam uiam eligere præsumitur, per quam sua iudicia impugnentur. l. 3. cum gl. De mil testa. Et non debet res operari contrarium effectum. l. qui hominem. De solut.

At Imperator filijs fratrum sua constitutione beneficium largiri eisq; subuenire uoluit: id quod ipse testatur in Authen. de hæred. ab intest. uen. uers. sed & ipsi.

Non est igitur credibile quod suo beneficio eos damno & iactura afficere uoluerit: quod fieret si unus ex fratrum filijs solus tantam portionem ex hereditate auferret, quantam decem alij: at id absurdum est. Itaq;

Ea interpretatio quæ ad absurdum casum tendit, non est recipienda: nec debet privilegium Imp. intelligi ut sit iniurum: cum ea quæ iniura & absurda sunt, in generali privilegio Cæsaris non ueniant. Bald. in d. l. si quando. in prin. fa. l. ex facto, & ibi Doct. De uulg. & pupil.

At si filij fratrum in stirpes succedat, absurda consequentur. Nam

Primò, ut diximus, unus tantum apisceretur, quantum alij quinq;: quod est iniustum.

Deinde pares in gradu & defuncto pariter cõiuncti, impares partes auferrent: quod est contra ius. Nam,

In cõmunione, socij (in dubio & cõ nulla diuersitatis ratio aliud exigit) in partes æquales uocati censentur. I. si non fuerint. in prin. & ibi Bal. Pro socio. Quomodo enim ad diuisaria iudicarentur, quorum est par ratio? I. illud. Ad l. Aquil. Quis enim ferre posset, ut ex parib. socijs unus tantum auferret, quantum alij decem? nunquid ea res ad societatem leoninã nõ accederet? de qua in d. l. si non fuerint. Deniq; ubi esset iustitia mater iuris, quæ suum unicuiq; tribuit?

At hæredes in quandã quãsi cõmunionẽ incidisse dicuntur. Hæredes igitur in æquales partes uocantur.

Vbi ratio naturalis est, nihil amplius requiritur. Nã à ratione naturali optima argumẽta sumuntur. I. scire oportet. §. sufficit. & ibi Bal. De excus. tut. Et ait Card. c. j. in prin. De elect. rationẽ naturalẽ sufficere, etiam si nõ esset lex. fac. c. fin. De trãfact. c. 2. requirjs. De appel.

At ut pater in gradu pari iure cõscentur: naturaliter æquũ est. Nihil igitur amplius requiritur.

Vt

Vt igitur fratrum filij in stirpes succedant, recipiendum non est.

VIII. Quod præcipuis iuris Doctoribus placuit, id tutò sequi licet.

At ut fratrum filij, in capita succedant, id præcipuis Doctoribus placuit: ut ante Accursum omnibus: post eundem uerò Alberico, Saliceto, Baldo, Angelo, Barbatiz.

Id ergo tutò sequi licet, Et Baldus quidem in d. Authen. cessante: argat & monetur hoc iudicio syllogismi.

Filij fratrum uocantur in stirpes ex privilegio: ut patet in corpore, in uerbo (privilegium) & in uerbo (beneficium) quæ ibi multoties iterantur.

At cùm ueniunt ex sua persona, non ueniunt ex privilegio aut beneficio: sed ex ui ipsius naturæ, & secundum regulas graduum.

Ex sua igitur persona non ueniunt in stirpes, sed in capita.

### DECISIO.

Itaq; ex	{	Textibus iuris, qui nullo uerbo correcti sunt.	} concludo, filios fratrum inter se non in locum parentum, sed iure proprio in capita ad patrum hereditatem uocari.
		Rationibus firmissimis.	
		Iustitia & æquitate naturali.	
		Sententia Baldi uiri maximi	

## QVINTVM CONSILIVM,

In causa familiæ herciscundæ.

CASVS: *Thema: Factum.*

Conradus Bûrgin — Anna Felicitas.

Conradus.	Ioannes, cuius	Agnes.	Anna.
	uxor Apollonia.		

**C**onradus Bûrgin & Anna Felicitas ciues Lindauenses, quatuor liberos habuerunt: duos scilicet filios Conradum & Ioannem: duasq; filias Agnetem & Annam. Mortuo marito & altero filio Conrado, Anna Felicitas, uidua triginta annis mansit: filiamq; utramq; in matrimonio collocauit: sed ita, ut Agneti mille & ducentos: Annæ uerò mille & octingentos florenos in dotem dederit. Mortua tandem matre filius Ioannes cum bona parentum omnia ad se recepisset: sororiq; Agneti ultra dotem à matre numeratam mille & ducentos: Annæ autem trecentos dedisset: ac complures annos in possessione bonorum fuisset: tandem & ipse mortuus est relicta uxore Apollonia Handbûssin: quæ Ioanni marito in omnibus bonis ui allegatæ consuetudinis Lindauensis, tanquam hæres successit. Sed cum defuncti sorores, Apolloniam non solum ob fraterna, sed & paterna bona coram iudice conuenissent: ac in lite succubuissent: ad curiam imperij prouocarunt.

*Questio quid iuris.*

Duo hîc Capita tractanda sunt: quorum prius est de bonis

bonis parentum: alterum de bonis fraternis. In primo capite uidentum est an supra eam summam, quam sorores à matre & fratre acceperunt, aliqua parentum bona indiuisa remanserint: & si remanserint, an ad summam septem millium & quingentorum florenorum taxari poterint.

*Responsum.*

PRIMUM CAPVT, De bonis parentum.

I. *Quòd aliqua bona parentum indiuisa remanserint: idq; ex coniecturis & præsumptionibus. Nam,*

In rebus & negotijs antiquis, & quæ ex communiter accidentibus difficulter probari possunt, non est exigenda plena probatio: sed sufficit semipleua & imperfecta: imò coniecturæ & præsumptiones pro legitimis habeantur probationibus, fac. l. cõtinuus. §. cum ira. De uerb. oblig.

At in nostro casu plena & perfecta probatio nõ solum est difficillima, sed quasi impossibilis: tum quia pater Conradus ante septuaginta: mater autem Felicitas ante quadraginta annos decessit. Itaq; fieri potest, ut ob longinquitatem temporis, non pareat conditio originis, c. longinquitate. 12. q. 2. Accedit quòd frater Ioannes Bûrgin in dicta bona solus & proprio facto uenit, in ijs liberè uersatus est, eaq; bonis uxoris immiscuit, nulla ratione reddita, nullo inventario facto. Ex quibus omnib. magna probationum difficultas, imò propemodum impossibilitas oritur.

E s Propter

Propter eam ergo rerum mutationem, quæ reparari difficulter poterat; leuior sufficit probatio. l. sicut iniquum. C. de fid. instrum. c. ueniens. De conuers. coniug. Itaq; ueritas huius quæstionis coniecturis & præsumptionib; sequentibus est ernenda. Itaq;, Ex amplo patrimonio, datâ mediocri summâ; præsumitur nulla diuisio esse facta.

At in nostro casu per testium attestaciones cõstat Conradum patrem ditissimũ fuisse: utpote cuius opes ad summam decies mille florenorum æstimata sit: & cuius morte cum septuaginta anni aut circiter præterierint: uxorq; Felicitas possessione triginta annorum ea bona plurimum auxerit: idemq; filius Ioannes fecisse existimetur: quis dubitauit opes tam amplas, post tanta temporum interualla, per rei familiaris diligentem dispensationem, tot fructuum redditibus, splendide auctas fuisse? Accessione enim fructuum bona incrementa accipiunt. l. item ueniunt. §. fructus. De petit. hæ. fac. l. si quis putas. §. si quid. Com. diuid. Constat autem ex tam amplo patrimonio mediocrem summam (4500. nimirum florenos) ad sorores peruenisse.

Præsumitur itaq; nulla diuisio esse facta; id quod hoc quoq; iudicio concludi potest.

Cũ una sola ratio reddi potest, ea habetur pro expressa. Bald. in l. quoties. C. de fideicom.

At in nostro casu non potest alia ratio reddi cur ex tam amplo patrimonio sororibus tam mediocri summa soluta sit, nisi quod non fuerint omnia bona diuisa.

In

In nostro igitur casu ea ratio habebitur expressa.

II. Quòd summa, quæ indiuisa permansit, per appellantes ad numerum septem millium & quingentorum florenorum rectè taxata sit: idq; per coniecturas. Nam,

In rebus ad probandum difficilibus, leuior & imperfecta probatio recepta est, eolq; loqui coniecturæ & præsumptiones fidem faciunt: per iura suprâ allegata.

In casu autem nostro plena probatio diætæ æstimationis per rei naturâ est planè difficilis: imò quodammodo impossibilis.

In nostro igitur casu non requirenda est plena probatio. Coniecturæ igitur sufficient.

Ex summa notabili, æstimatur summa notabilis. Sic enim & l. C. pro modo facultatum testatoris, modum alimētorum statuit. l. pen. in fin. De alim. leg. Sic & dotis incertæ quãritas pro modo facultatum cõstituitur. l. cũ post. §. gener. l. quæro. De iur. dot.

At summa notabilis mansit indiuisa, ut suprâ docuimus.

Ex illa igitur æstimatur summa notabilis. Nam si diuicias Conradi senioris successu temporũ auctas consideres, portiones hæreditariæ, quæ adhuc fororibus debentur, ad summam prædictam probabiliter æstimari poterunt. Hæc coniectura adiunatur per testium, qui pro appellantibus dixerũt, attestaciones. & per aduersariorum iudicialè confessionem;

unde

unde patet bona immobilia, quæ ad Ioannem Bûrgin pertinuerunt, summam quinque millium florenorum expleffe. etiam si prælegato deducerentur: bona quoque mobilia mille florenorum fuisse.

Ad hæc,

Hæredem, qui non confecto inventario in hæreditatem, quæ aliorum iura continet, se intromittit: ius præsumit maligari: uel aliqua furrupuisse: adeo ut falcidiam, si qua competat, deducere nequeat. Authen. de hære. & falcid. §. sancimus. Dicit etiã Bart. in l. tutor qui repertorium. De adm. tut. quod propter non confectum inventarium sit aliquis in dolo præsumpto.

At Ioannes Bûrgin (ut ex dictis testium liquet) post mortem matris omnia parentum bona solus inuasisit & ad mortem suam usque detinuit: idque nullo confecto inventario.

Ioannes igitur non mediocriter deliquit, & non leui præsumptione oneratus est. Item,

Qui occupat bona cohæredum, doli præsumptione granatur. arg. l. cum quærebatur. C. unde ui. Bona enim quæ ad cohæredes pertinet, sunt aliena: cum hæres quoad partem cohæredum sit extraneus Bal. in l. continuus. ad fin. De uerb. oblig.

At Ioannes Bûrgin occupauit hæreditatem fororum cohæredum sine omni eorum iussu aut mandato.

Ioannes igitur doli præsumptione granatur. Ad hæc,

Qui non facit quod debet: censetur facere quod non debet. l. qui non facit. De reg. iur. gl. in l. solo. C. de lib. causa, & dicit Bald. in l. j. C. si quis omis. cau. test.

test. dolo cum facere qui non utatur concessis. & ait Bart. in d. l. tutor qui repertorium. De adm. tuto. dolum esse, si quis nõ fecerit ad quod se teneri, uel sciebat uel scire debebat. Item, Omne malum factum, prauè præsumitur actum. c. j. De præsumpt.

At Ioannes Bûrgin nõ fecit quod debuit facere. Nam qui alienæ administrationi se immiscet, rationem perfectam omnium perceptorum & expensorum reddere debet, ut ait Bald. in l. filii quæm. C. fam. hercisc. Nec solum rationem reddere, sed & librum rationum tradere tenetur. Bart. & Bal. in l. j. §. officio. De tut. & rat. distrah. Frater quoque cum fororibus iustam & legitimam diuisionem facere debet. fac. l. j. C. fam. hercisc. l. fin. in fin. C. commu. diuid. At Ioannes nec ullam de perceptis rationem reddidit: nec ullam iustam cum fororibus diuisionem fecit. Horum enim nihil in actis probatum est.

Fecit igitur Ioannes quod non debuit: hoc est, malè in paternis & maternis bonis uersatus est.

*Corollarium primum: quod difficile, imò uix possibile appellantis fuerit, summam indiuisam specificè probare. Nam,*

Quæ sine testibus explicantur, perfectè probari non possunt: ideoque in his imperfecta probatio iunctis coniecturis pro legitima & perfecta habetur.

At quæ ad Ioannem Bûrgin sine inventario peruenerunt, & fructuum perceptio: sine testibus explicata fuerunt.

Perfectè igitur probari non possunt.

*Corolla-*



*Corollarium alterum, quòd iusiurandum in litem  
competet, iudice tamen summam ta-  
xante. Nam,*

Administratori, qui uel rationes non reddit, uel li-  
brum rationum nõ exhibet, iuramentum litis de-  
ferendum est. Bart. & Bal. in l. j. § officio. De tut. &  
rat. distrah.

At Ioannes Bürgin rationes non reddidit.  
Dari igitur cõtra ipsum iusiurandum in litem potest.

### CONFUTATIO.

#### I. Obiectio.

Compositio amica seu transactio, interueniente præ-  
sertim confessione, fidem facit & præiudicat. l. si  
inter uos. C. commu. utr. iud. l. sub pretextu. C. de  
transact.

At Agnes confessa est se per transactionem pro por-  
tione hæreditaria 1200 florenos à fratre accepisse;  
& apocham quoq; fratri suo dedit.

Hæc igitur fidem faciunt & Agneti præiudicant.

#### Responsio.

Apocha seu quietantia, cum cætera sunt paria, & ni-  
hil diuersum apparet: in dubio fidem facit: Bart. in  
l. 4. §. nunc de effectu. & in l. Aurelio. §. Caius. De  
lib. leg.

At

Si mulier ista uires patrimonij sciuisset: potuisset fra-  
trem suum apocha liberare.

Regula, qua dicitur, Ignorantiam præ-  
sumi. l. uerius. De probat.

At in nostro  
casu diuer-  
sum appa-  
ret. Nam

At ignorauit:  
quòd creden-  
dum est ex

Rationibus  
uvalidis:

1. Quia absens fuit  
ab oppido Lindau.  
Habitauit enim cũ  
marito Constantiæ  
eo tempore, quo fra-  
ter se bonis immi-  
scuit. Nesciunt autem  
absentes quid  
faciant præsentés.  
Bald. in l. quicumq;  
C. de ser. fugit.
2. Quia frater inuen-  
tarium non confe-  
cit, nec sorores no-  
cauit: nec in trans-  
actione, corpora, in-  
ra, census ostendit.

Liberando igitur fratrem pro ea portione hæreditatis  
quam ignorabat, nihil egit.

In nostro igitur casu apocha nihil facit.

#### II. Obiectio

## II. Obiectio.

Qui accepit summam pro tota hæreditate: reliqua censetur donasse. l. Procula. de probat.

At Agnes accepit summam à fratre pro tota hæreditate.

Reliqua igitur censetur donasse.

## Responsio.

Vbi alia præsumptio locum habet: ibi donatio non præsumitur. l. si cum aurum. De solut. Idem est, si mulier vires patrimonij ignorauit. Nemo enim ignorans donat. l. nec ignorans. C. de donat.

At in nostro casu est alia præsumptio: & mulier vires patrimonij ignorauit.

In nostro igitur casu alia est præsumptio.

## III. Obiectio.

Per elapsum longi temporis, præsumitur diuisio gl. & Doct. in l. si maior C. com. diuid. & Bald. in l. si filius. C. de petit. hæred.

At in nostro casu sorores post acceptam à fratre pecuniam, nonquam eundem de diuisione interpellarunt, sed spacio ferè 27. annorum tacerunt.

In nostro igitur casu præsumitur diuisio facta: maxime si causa obligatoria præcesserit: sicuti in præsentia causa obligatoria hæreditatis prouidendæ præcessit.

## Responsio.

Ex temporis diuturnitate non aliter diuisio præsumitur, quàm cum apparet æquales partes esse distriburas. Bal. in l. pen. C. com. diuid.

At

At in nostro casu nō sunt æquales partes sororib. da-  
Diuisio igitur facta præsumi non potest. (Cz.

## III. Obiectio.

Qui diu silet, ius suum remississe præsumitur.

At sorores diu siluerunt.

Ius igitur suam remississe præsumuntur.

## Responsio.

Donatio nunquam præsumitur, ubi alia præsumptio locum habet. l. si cum aurum. De solut.

At remissio iuris est donatio. l. contra iuris. in fin. De pact.

Remissio igitur non præsumitur, ubi alia est præsumptio. Hinc itaq; assumendo:

Vbi diuturni silentij alia est præsumptio: ibi remissio non præsumitur.

At in nostro casu est alia præsumptio, eaq; triplex.

1. Quia fidem fratri habuerunt de portione hæreditaria, utpote cum vires patrimonij ignorarint. Par enim affectionis causa, suspicionem fraudis remouet. l. nō solum. §. de uno. De rit. nupt. l. quoniam sororem. C. de iur. delib.
2. Quia fratrem metu reuerentiali (qui in mulieribus frequens est) reuerentæ creduntur, ne importunius cum eo agerent. arg. l. j. §. quæ onerandæ. Quar. rer. act. non det.
3. Quia familiæ suæ dignitatē fortasse uoluerūt cōseruari per fratrem: ideoq; suæ portionis diminutionē non ægrè tulerunt. Instit. de hæ. quæ ab intest. §. item necessitas,

F 10

In nostro igitur casu cessat remissionis presumpcio.  
Nemo enim in stare suum presumitur. l. cum de in-  
debito. De probat.

#### V. Obiectio.

Qui minorem summam recipit, remittere maiorem  
presumitur. l. qui semisses. l. cum quidam. §. Diuus.  
De usur.

At sorores minorem summam receperunt.  
Maiorem igitur donasse presumuntur.

#### Responsio.

Allegata ira procedunt odio usurarum; at in alijs ca-  
sibus non habent locum, ut in utraque lege Iacob.  
de Burr. docuit: cum actio personalis tam facile  
interijisse non presumatur.

#### VI. Obiectio.

Prescriptione tollitur actio.  
At in nostro casu est prescriptio.  
In nostro igitur casu sororum actio est sublata.

#### Responsio.

Petitioni hereditatis prescribitur 30 annis. l. heredi-  
tatis. C. de petit. hered.  
At in nostro casu actio sororum ante decursum 30  
annorum instituta fuit.  
In nostro igitur casu cessat prescriptio.

#### VII. Obiectio.

Qui renunciat suo iuri, nullam habet actionem.  
At sorores illæ, actioni suæ quod ad bona parentum, in  
prima instantia renunciarunt; uel saltem ab ea de-  
sisterunt.  
Nullam igitur habent actionem,

Respon-

#### Responsio.

Ex uerbis conditionalibus, nihil renunciationis elici-  
tur. Instit. de uerb. oblig. §. ex conditionalibus. l. si quis  
sub conditione. Si quis omis. cau. test.

At sororum uerba, quæ in replicatione Actoris alle-  
gantur, (etiã si bona parentum ad Ioannem Bür-  
gin in uita sua pertinuisent) sunt conditionalia.

Ex uerbis igitur sororum nulla renunciatio elici po-  
test. Nec refert, quod uerba conditionalia iam di-  
cta, in præteritum collata fuerint, & non suspende-  
rint. l. cum ad tempus. Si cert. pet. Nam,

Quæ sunt incerta, nõ pariunt certum effectum. l. ubi  
De uerb. oblig. l. non omnis. Si cert. pet.

At uerba conditionalia illa, sunt incerta.

Incertum igitur effectum pariunt. d. §. ex conditio-  
nali. De uerb. obl. Item,

Ea quæ ad aliud expressum referuntur, tanquã ex-  
pressa iudicantur. l. ait prætor. §. j. l. in summa. in  
prin. De re iud. l. asse toto. De hered. instit.

At in principali petitione primæ instantiæ sorores  
utraq; bona, & parentum, & fratris coniunxerunt,  
& expresserunt & in ultima conclusione ad ean-  
dem petitionem principalem (ex qua causæ fun-  
damentum constat) se retulerunt.

Paterna igitur bona pro expressis haberi debent.

#### Epilogus primæ partis.

Cum igitur Conradus Bürgin impensè diues fuerit:  
& ipsius uidua rei domesticæ curam multis annis pru-  
denter gerendo, bona plurimum auxerit: id quod com-

U z muni

muni fama in oppido Lindan vulgatum est: cumq; Ioannes Bürgin ea bona solus occuparit, auxerit, & ex his tantummodo quater mille & quingentos florenos sororibus dederit: ideoq; necessariò ingens summa iniquità remansit: quæ ad septem millia florenorum æstimari potuit: id quod ex testibus, alijsq; coniecturis (quæ in his difficilibus negotijs fidem faciunt) legitimè probatum est, concurrente fama consentiente ( quæ in antiquis multum potest) accedentibusq; ualidis præsumptionibus, quæ contra dictum Ioannem militant, quòd scilicet bona occupauit, nec legitimè diuise, nullamq; rationem reddidit: in hoc primo capite concluditur:

Primo, quòd ingens summa ex bonis parentis iniquità remansit.

Secundò, quòd ea summa in actis ad septem millia florenorum non iniquè æstimata sit.

Tertiò, quòd licet ex natura difficilis probationis ea summa probari perfectè non potuerit, quia tamen dolus saltem præsumptus ex parte fratris concurrerit, eadem summa ( quantum religioni iudicis æquum uideri possit, taxanda) parti appellanti per insurandum in litem (quod ueritatis dicitur) ad indicanda sit. Nec enim ex delicto lucrari quòspiam debet. l. siue hæreditaria. in fin. De neg. gest. Et uulgò dicitur, Dolum nemini patrocinari debere. l. uerum. §. tempus. Pro socio. & Acquitas naturalis exigat, ut res mea, quæ ad alium peruenit, mihi restituat. l. seruus. De act. emp. l. si cum seruum, in fin. l. si me & Titium. in fin. Si. cert. pet.

SECUN-

SECUNDVM CAPVT, De bonis fratris: An scilicet, bona hæreditaria Ioannis Bürgin ad sorores suas iure communi, an uerò ad ipsius uxorem, ui assertæ consuetudinis pertineant.

Hæc tres Quæstiones sunt: de—

Consuetudine successionis inter cõiuges, de qua in actis an ualeat. Statuto municipali oppidi Lindan: utrum aliquid operetur, an uerò per cõtrariam consuetudinem fit illi derogatum. Sententia Lindaniensi, in fauorem aduersariorum lata: utrum de nullitate, uel iniquitate saltem, iure possit impugnari.

Syllogismus, quo totum secundum caput iudicatur.

Si consuetudo nihil ualeat, sed statutum ualeat: sententia nulla est.

Sed consuetudo nihil ualeat: ualeat autem statutum. Id quod deinceps probabitur.

Sententia igitur nulla est.

Prima pars, quòd Consuetudo nihil ualeat.

I. Vbi populi usus uariat, nec est uniformis, ibi nulla legitima consuetudo introduci potest: quia consensus unanims deficit. Alber. in l. de quibus. De legibus, Et dicit Alex. consil. 5. & 127. quòd cum

consuetudo, variat, ad ius commune redeundum sit.

At in nostro casu magna varietas est testium, & de ista successione coniugum loquentium, ut ex actis constat.

In nostro igitur casu consuetudo introduci non potuit ex tam variantibus, & inter sese pugnantibus usibus, de quibus testes attestati sunt.

## II. Consuetudo iniqua, non valet.

At ista consuetudo est iniqua. Nam liberis sine certa provisione relictis, coniunx succedit coniugi: contra divinam scripturam, & precipue contra Pauli verba 2. Cor. 12. & ad Galat. cap. 4. Item & contra rationem naturalem, contraque naturam totum. l. cum ratio. De bon. damn. l. scripto. in fin. Vnde lib. Nā etsi mulier omnia bona marito in dotem dedisset (quod potest. l. mulier bona. De iur. dot. l. nulla. C. eod.) & statuto caueretur, quod maritus dotem lucraretur hoc tamē casu, si mulier relictis ex priori matrimonio liberis decederet, maritus statuto adiuvari nō posset, ut in tota dote succederet, sed salva esset liberis legitima. per l. j. C. de inoff. dot. & nihilominus in residuo liberi cum vitrico concurrerent: iuxta l. hac editā: quæ est elegans doctrina.

Consuetudo igitur ista non valet.

III. Consuetudo, quæ ad evitatum prauum, iniquum & absurdum respicit: est iniqua. Card. clement j. Vt lit. pend. & Cald. ait: Statuta & consuetudines non valent, quæ ad periculosum & illicitum casum trahuntur.

hantur. c. venientes. De iureiur. Debent etiam futura mala caeri, non consuetudinibus iniquis fore. Innoc. c. inquisitioni. De sent. excommu.

At hæc consuetudo ad euentum iniquum respicit: facile enim fieri posset, ut per eam liberi à toto parentum patrimonio excluderentur. Quid enim si parens cui sint liberi, nihil aliud possideat quàm mobilia? Quid si bonorum mobilium opes sint copiosæ, & ex immobilibus uix terrula, uix prædolum extet? Nōne iam liberi à bonis parentum per pravam istam consuetudinem, qua coniunx in mobilibus coniugi succedit, repellantur? & ita repelluntur, ut ne legitima quidem ipsis superstet?

Consuetudo igitur ista maximè iniqua est, & diuinis, ut diximus, scripturis, iurisque naturali, imò & naturæ uoto contraria. Quis enim eum euentum ferre possit, quo liberi à bonis proprijs repulsi, arctissimo sanguinis nexu posthabito, uel exulent, uel egestate premantur: cum interim extranea persona in eisdem bonis delicietur? Quid enim aliud est superstes coniunx soluto matrimonio, quàm extranea persona quoad familiam defuncti? ut colligitur per ea, quæ notantur in l. sed hoc ita. De re iud.

Ex his tribus rationibus apparet, consuetudinem, qua coniuges inter sese succedunt extrantibus liberis prioris matrimonij, esse iniquam & intolerabilem: Vnde concluditur:

Liberis prioris matrimonij extrantibus, consuetudo coniugibus facultatem succedendi tribuere nec potest, nec debet,

At in nostro casu domina Apollonia filiam ex priorē matrimonio habuit.

Apollonia igitur marito suo ex consuetudine succedere non potuit.

III. Consuetudo, per quam propter coniugales illecebras, hæreditas liberorum parentibus subtrahitur: & amor paternus tollitur, odiumq; inter coniunctissimi sanguinis personas nutritur: intolerabilis est.

At hæc consuetudo talis est. Parentes enim à successione liberorum, & sic à lucuosa hæreditate excluduntur, dum coniuges (exclusis parentibus) inter se succedunt: quod certè diuinis præceptis nõ est conforme. Fieri enim potest ut ea occasione parentibus aliquando alimenta subtrahantur, arg. l. si quis à liberis. §. j. De lib. agnosc.

Hæc igitur consuetudo intolerabilis est.

#### Prolepsis I.

Statutis mater à liberorum successione potest excludi: quod frequens per Italiam est.

Igitur & consuetudine.

#### Responsio.

Cessante ratione, cessat statutum.

At in nostro casu cessat ratio statuti. Huiusmodi enim statuta in fauorem agnationis recepta sunt.

In nostro igitur casu cessat statutum.

#### Prolepsis II.

Consuetudo ultra memorialis est toleranda.

At hæc est talis.

Toleranda igitur:

#### Responsio.

#### Responsio.

Consuetudo mala diuturnitate temporis nõ minuit, sed auget iniquitatem. c. cum haberet. De eo qui dux. in matr. quam poll. per adult. c. cum tanto. De consuet. c. nõ satis. c. cum in ecclesiæ. De simou. Et dicit Innoc. in tit. de consuet. Consuetudinem, quæ malignandi occasionem præbeat, non præscribitur: quæ contra bonos mores, aut iniqua sit. 22. dist. c. nos consuetudinem. c. cum illa.

At hæc consuetudo mala est.

Hæc igitur consuetudo non est toleranda.

#### Prolepsis III.

Consuetudo ab Impy firmata, est seruanda.

At hæc cum alijs cõsuetudinibus est ab Imp. firmata. Seruanda igitur.

#### Responsio.

Generalis confirmatio non confirmat nisi iusta. c. j. & ibi Anch. De iur. lib. 6. Bald. in l. 3. C. de precibus Imp. offer. Imò iniqua consuetudo ex officio iudicis tolli & cassari debet; sicut ordinationes Cõfistorij sacri Rom. imperij exigunt.

At hæc consuetudo est iniusta.

Hæc igitur consuetudo per generalem confirmationem non confirmatur.

#### SECUNDA PARS, Quod Statutum Lindauense, consuetudini præualeat.

Statutum Lindauense fuit de successione: quod uñ compulsorij (durch compulsorial) edictum fuit: Maritus & uxor tam in mobilibus, quam in immobilibus bonis, quæ

habent & relinquunt sibi inuicem succedunt omnino, siquidem nullos liberos legitimos ex se susceptos reliquerint, & citra pacta, senatu consentiente in matrimonium conuenerint. *Es sollen Mann vnd Weib, einander ahn liggendem vnd fahrendem Gü, so sie habē vnd verlassen, ganz erben, ob sie kein Ehlich Kind bey einander verassen, vnd vn bedingt, mit eines ehrsamē Rhats will. n zusamme kommen.*

I. Non entis, non qualitates. l. eius. Si cert. pct.

At prædicta consuetudo nihil est. Nam, ut supra deduximus, non est uniformis, sed iniqua, præuaq; & absurdam euentum respicit.

Consuetudo igitur illa nullas qualitates habet; ideoq; statuto non præualet.

II. Rationabile statutum præferendum est consuetudini irrationabili.

At statutum illud Lindauicēse est rationale: imò summa providentia constitutum. Quid enim prudentius & magis rationi cōsentaneum potuit statui, quàm ut coniuges, qui inter se succedere uelent, cum consensu senatus contraherent? Ea enim ratione senatus conditiones personarum explorare poterat: utrum una diues, altera pauper: hæc honesta, illa turpis: hæc meliorum natalium, illa inferioris conditionis esset: & sic de cæteris. Item ne liberis prioris matrimonij uaria aut iniqua fieret prouisio: ne sic per secundas nuptias periclitarentur, quæ rarò, liberis extantibus proficiunt. Nec enim ignota sunt nouercalia delinimenta, & perfidia matrū in liberos propter novos maritos. l. non est. De inoff. test. l. lex quæ. §. lex enim, C. de adm.

tut.

tut. l. j. in prin. & ibi gl. C. ubi pup. educ. deb. Et in summa. prudenter constitutum hoc modo est, ne semper in usibus huiusmodi successiōnū fluctuaretur & erraretur, id quod & præfatio statutaria clare probat, quæ causam finalem statuentis ostendit. l. fin. De hered. instit. Quæ omnia ad commodum Reip. Lindauicēsis, & conseruationem honestarum familiarum, patrimoniorumq; augmentum tendebant. Expedit enim Reip. ciues & incolas habere diuites, & ut quisq; re sua bene utatur. §. sed & maior. De his qui sunt sui. Auth. ut iud. sine quoquo suffrag. §. cogitatio. fac. l. j. §. pen. De uent. in spic. Nec dubium est, quin senatus his rationibus permotus id statutum condiderit, quæ pro expressis quoq; haberi debent, cum nulla alia subsit ratio, cur dictum statutum sit conditum. gl. in d. l. quamuis. C. de fideicom.

Statutum igitur Lindauicēse præferendum est consuetudini.

III. Qui errant in usu adus, non introducunt consuetudinem. Nam erratur aut in usu adus, aut in causa. In usu, cum populus uitur adibus, uolens legem obseruare; credit enim legem sic habere: quo casu populus non uult per huiusmodi usus ullam inducere consuetudinem, sed legem constitutam obseruare: & hic error consensum populi sine dubio impedit, quod & Imola uoluit in tit. de consuet. dicens tum induci cōsuetudinem, cum populus animum inducendi, & iure suo utendi habet. Et rectè: Nihil enim consensui magis contrarium est, quàm error.

error. l. si per errorem. De iurisd. om. iud. c. quam-  
nis 38. distin. &. In causa uero erratur, cum populus  
credit aliquam causam subesse, quæ non subest: ut  
si credit Remp. ditiores fore, si hoc aut illo modo  
ueratur. Hic error non nocet consuetudini in-  
ducenda.

At Lindauenses errarunt in usu actus. Nam mutuam  
istam coniugum successionem eo errore obserua-  
runt, quod credebant uti se statuto: putabantque  
eam obseruationem statuti comprehensam esse:  
ne per testium attestaciones liquet. Unde errarunt  
in usu actus: scilicet error in ipsa essentia & substan-  
tia iuris.

Quapropter sine dubio nulla potuit induci legitima  
consuetudo, tam intolerabili errore omnem con-  
sensum, qui ad consuetudinem requiritur, impe-  
dicente.

III. Iura præcedentia, tolluntur à consequentibus (cæ-  
teris paribus) non autem contra. Cyn. Alber. & De. &.  
in d. l. de quibus.

At ista consuetudo præcessit statutum: ut ostendit dies  
statuto adiecta & testium depositio.

Consuetudo igitur à statuto consequente est sublata.

V. Si consuetudo ista ad formam statuti est restricta, est  
sine dubio eneruata & sublata.

Sed illud. Id enim innuit ipsum statutum: nec refert,  
quod expressè consuetudinis mentio facta non sit  
in statuto: satis enim est quod civitas statutum con-  
tra consuetudinem suam fecit,

Ergo & hoc,

VI. Statuta

VI. Statuta quæ ex certa forma pendent, sequente dispo-  
sitione tolli non possunt. Lex enim cum aliquid dis-  
ponit, omne id quod secundum formam legis dis-  
positum nõ est, prohibere intelligitur & extra com-  
stitutionem legis constituere. arg. l. conficiuntur.  
§. si De iur. codic.

At statutum Lindauense ad certam formam est astra-  
ctum. Nam successio coniugum non aliter est re-  
cepta, quam si cum cõsensu senatus matrimonium  
sit contractum: quæ uerba formam præscribunt. Iure  
enim traditum est, quod conditio legi apposta, for-  
mam importet. l. prætor. in prin. De coll. bon.

Statutum igitur Lindauense per consuetudinem tol-  
li non potuisset, etiam si post statutum introducta  
fuisset. Nisi fortè statuentes pari solemnitate quæ  
statutum crexerunt, eam formam dissoluissent. l. ni-  
hil, De regul. iur. c. j. extr. cod.

#### Prolepsis I.

Ex bono & æquo adiecta, non præbet formam.

At consensus senatus in statuto ex bono & æquo est  
adiectus.

Ille igitur consensus non præbet formam.

#### Responsio.

Conditio in statuti apposta, ad formam sine dubio  
est adstricta: id est, ad unguem obseruanda: ut di-  
cunt Bald. & Ang. in l. 2. De lib. & posth. Nam con-  
ditio quæ per legem apponitur, formam necessa-  
riam & non leuem solemnitatem importat.

At in nostro statuto sunt uerba conditionalia.

Nostri igitur statutum est ad formam astrictum.

{ Prolepsis



*Prolepsis II.*

Conditio irrationabilis & contra bonos mores, non attenditur.

At ista conditio est irrationabilis & contra bonos mores. Matrimonia enim libera esse debent, nec ad alterius consensum adstricta l. Titia. ad fin. De uerb. oblig. c. gemma. De sponsal.

Ista igitur conditio non attenditur.

*Responsio.*

Hæc prolepsis nihil obstat. Statutum enim nõ iubet ut matrimonia cum consensu senatus contrahantur (hoc enim non ualeret) sed facultatem succedendi coniugibus inter se adimit, si sine consensu senatus matrimonium sit contractum.

*Prolepsis III.*

Si consensus ex postfacto interuenit, sufficit. Socin. consil. 17.

At in matrimonio Ioannis Bûrgin & uxoris, interuenit consensus senatorum: quippe qui ad nuptias inuitati & præsentibus fuerunt: & rem a se iam approbarunt.

Sufficit igitur.

*Responsio.*

Consensus ex statuti requisitus, in actu interuenire debet. Ang. in l. si quis mihi bona fide. §. iustum. de acq. hered. Bald. in l. 2. §. uoluntatem. Sol. matr.

At in nostro casu consensus ex statuto requiritur.

In nostro igitur casu consensus in ipso actu, ab initio & non ex post facto interuenire debuit. arg. l. obligari.

ligari. §. tutor. De autor. tuto. §. pen. Instit. cod. l. cum hi. §. uult igitur. De transact. Item,

Tacitus consensus in statuto non sufficit: sed necessarius est consensus expressus. Card. in elem. sepe. §. si tamen. De uerb. signif. Nam tacere medium est inter consentire & reprobare. Quapropter cum statuta planè uerificari debeant, l. 3. §. hæc uerba. De neg. gest. taciturnitas, quæ est mediæ effectus, merito non sufficit.

At senatus in matrimonium tacite tantum consensit: non enim apparet, quod expressè consenserit.

Id ergo non sufficit. Deniq.

Actus uoluntarij non extenduntur ad id quod de necessitate non includunt. l. fin. C. ne uxor pro mar. Bart. in l. Titium & Mauium. §. altero. De adm. tuto. & dicit Corneus consil. 45. actum esse considerandum ex eo quod principaliter intenditur, non quod incidenter resultat. l. qui exceptionem. De condit. in deb. l. si quis nec causam Si cert. pet.

At ire ad conuiuium est actus uoluntarius, & in quo hoc principaliter intendebatur, ut inuitati conuiuantur.

Iste igitur actus ad extraneam & impertinentem materiam consensus præstandi, non poterat extendi.

*Prolepsis IIII.*

Contraria consuetudo & non usus, tollit statutum. Nam statuti derogari per contrariam consuetudinem, in iure uulgarum est. Ioan. And. in c. Ioannes. De cler. coning. Fel. in c. cum accessissent. De consil. Cyn. l. 2. C. de seruit. & aqua.

At

At in nostro casu fuit contraria consuetudo & non usus.

In nostro igitur casu statutum ab aula recessit, & sic illi praevallet consuetudo.

*Responsio.*

Statutum cui forma est adiecta, non potest ullo contrario usu tolli: nisi statuentes eadem solennitate, qua exererunt, huiusmodi formale statutum sustulissent. Nihil tam naturale, De reg. iur. Nec refert, etiamsi per populi ab usum contraria usurpatio iterum irripisset: id enim sine effectu est: cum consuetudo semel reprobata, denuò induci non possit. ut dicit Abb. c. sua, De consuet.

*Epilogus primæ & secundæ partis  
secundi capituli.*

Cum igitur supradicta consuetudo sit iniura, prava & irrationabilis: è contra statutum ratione summa, & prudenter sit sancitum: cumq; id consuetudine sit posterius: ipsaq; consuetudo tanquam erronea per statutum sublata sit: cum etiam consuetudinis error in ipsa iuris essentia, & usu actus manifestè consistat, nimirum quod populus a sibus suis non ut consuetudinem introduceret, sed ut statuto uiueret, usus sit: cum deniq; statutum ad certam & necessariam formam adstrictum sit: ideoq; nec consuetudine posteriori infirmari poterit: concludimus in hoc difficili negotio, statutum per dictam consuetudinem non esse sublatum: imò consuetudinem per statutum esse enervatam,

TERTIA

TERTIA PARS, *Quòd sententia  
sit nulla.*

I. Cum iudices sine causæ cognitione procedunt, sententia est nulla. l. prolatam, & ibi Bart. C. de sentent.

At in nostro casu iudices sine causa cognitione processerunt. Cum enim pars rea se in consuetudine asserta fundaret, & actores eam consuetudinem negarent: iudices ream partem (licet se ad id offerentem) ad probandam dictam consuetudinem non admiserunt: sed nudis uerbis eius credentes, sententiam pro ea tulerunt. Cùm iure notissimo constet, consuetudinem in iudicio allegatam, ex qua alterutra pars intentionem suam fundare pergit, probandam esse, cum sit facti. Multa enim contra personas & dicta testium, partes obijcere possent, quæ index inquirendo non cognosceret. Cyn. in l. j. in prin. C. quæ sit longa consuet. Bart. in l. 2. C. d. tit. Nec obstat quòd pars aduersa in actis contendebat, quòd iudex se de consuetudine ex officio informare posset, ut ait Alex. in l. j. ca. C. ut quæ desunt aduoc. Alexander enim illic non loquitur de consuetudine, in qua se pars principaliter fundat, sed quæ est styli uel iudicij, ut Bart. in l. lege. De testib. Item de his quæ sunt notoria: quod tamen intelligendum est de notorio facti permanentis. Nam si sit facti transeuntis, legitimè probandum est. Dicit enim Bald. in l. cum fratrem C. de his quib. ut indig. nullam notorium de mon-

G do

do reuelare ab onere probandi, nisi sit facti permanentis.

In nostro igitur casu sententia est nulla.

II. Cum iudices dederunt testimonium pro commo- do partium in ea causa, in qua tu'erunt sententiam: sententia est nulla. Florianus in l. quoties. §. interrogationis. De probat.

At in nostro casu iudices passi sunt se testes produci in causa principali, in qua sententiam dixerunt.

Iudices igitur ipsi liquidò ostenderunt, quàm fuerint suspecti à principio: quia ex presentia in præteritum præsumitur. Bald. l. ex persona. l. siue possidentis. C. de probat.

### Decisio utriusq; capituli.

I. In primo capite (quoad bona parentum) summa quæ indiuisa remansit, per iudicem ex officio taxanda: & taxatione seu æstimatione facta, talis summa (præstito per appellantem iurciurando, uel, si iudici uideatur, sine iurciurando) appellanti adiudicanda est.

II. In secundo capite, cum consuetudo affecta nihil unquam momenti habuerit (ut quæ errore intolerabili, uario usu, contra rationem & bonos mores, imò etiam contra formam statuti usurpata, adeoq; per statutum sublata fuit) bona fraterna secundum iuris communis dispositionem appellanti, unà cum fructibus perceptis & refundendis expensis adiudicanda putò.

SEXTVM

## SEXTVM RESPVSVM, De Testamento Militis.

### C A S V S.

**H**ieronymus Brunner eques auratus, ad expeditionem Mediolanensem anno 1524. (quo Rex Gallicarum Franciscus Mediolanum occuparat) profectus & in oppido Tridento lethali morbo correptus: epistolam ad amicos scripsit, qua (nullius heredis institutione facta) uxori suæ bonorum omnium usumfructum, si uidua maneret: si uerò ad secunda uota consolaret omnium bonorum belem; sorori autem suæ tricentem reliquit. Et hæc omnia per epistolam, nullis testibus, aut legitimis solemnitatibus iurata, ordinauit: executoresq; ultimæ uoluntatis suæ designauit. Cum autem fratrem germanum Casparum præterisset: isq; per bonorum possessionem, uide legitimi uel agnati, testamentum tanquam nullum impugnasset: testamenti executores, testatoris uoluntatem executioni mandare conati sunt.

### Questio iuris.

Queritur igitur: An scriptura illa, seu epistola, executioni mandari debeat.

### Responsum.

PRIMA PARS: Quòd non debeat executioni mandari: argumento ex speciebus ultimæ uoluntatis.

Si Hieronymi scriptura uel epistola ualere debet: necesse est ut sit aut testamentum solenne, aut codi-

illus, uel donatio causa mortis, aut anomala dispositio.

At neq; testamentum solenne, neq; codicillus, neque anomala dispositio est. Assumptio tribus argumentis approbatur.

Non igitur ualere debet. Et ex hoc Zosiano iudicio causa Landeckiana facillime, & sine tanvis sumptibus dijudicari potuisset, nisi famelici iureconsulti rem implicare, quam expedire maluissent.

*Assumptio prosyllogismos tres habet.*

I. Testamentum solenne requirit legitimam heredis institutionem; item septem testes & eorum subscriptionem. l. hac consultiissima. C. de testam.

At epistola Hieronymi nihil horum habet; nullam heredis institutionem, nullos omnino testes, nullam eorundem subscriptionem.

Epistola igitur illa non est testamentum solenne.

II. Codicillus & donatio causa mortis, non ualent nisi presentibus quinque testibus sine expedita. l. fin. in fin. C. de codicil.

At epistola Hieronymi nullos testes habet.

Epistola igitur illa non potest dici codicillus, aut donatio causa mortis.

III. Voluntas aut dispositio anomala non ualeat, nisi parens inter liberos disponat. l. fin. C. fam. herisc. aut iuris municipalis solennitate sit confecta. Nam nec Imp. quidem tam informem uoluntatem aliter, quam ex iustis causis confirmare poterat. Certe enim iuris est, quod nemo possit facere,

ut

ut in suo testamento ius commune uel municipale locum non habeat. l. nemo potest. De leg. j.

At Hieronymi epistola nec parentis inter liberos dispositio est, nec iuri municipali conformis est. Hieronymi ergo uoluntas non ualeat, quasi dispositio anomala.

SECUNDA PARS: *Confutatio argumentorum obiectorum.*

I. *Obiectio.*

Querela inofficiosi habet locum cum frater instituit turpes personas. l. fratres. C. de inoff. test.

At frater Hieronymus non instituit turpes personas.

Querela igitur inofficiosi contra ipsius testamentum locum non habet.

*Responsio.*

Fratri qui intestatus decessit, merito frater proximus heres est.

At Hieronymus intestatus decessit, nullum enim testamentum fecit, ut supra probatum est.

Frater igitur Casparus illi merito proximus heres est.

II. *Obiectio.*

Milites in expeditionibus occupati, non sunt alligati ad iuris solennitates: sed quoquo modo uel poterint, uel uoluerint, testari possunt. l. j. l. eius. cum seq. De test. mil. l. milites. C. eod. l. licet. C. de past.

At Hieronymus fuit eques auratus & miles: & Mediolanensem expeditionem secutus, in militia neogotij militariibus diem suum obiit.

Hieronymus igitur sine solennitate, quoquomodo poluit, testari potuit.

*Responsio.*

Privilegium militare quoad faciendâ testamentâ, competit ueris militibus, qui sub imperij Rom. signis militant, & iureiurando astricti sunt. toto tit. ff. & C. de mil. test. Nec aliter competit quàm si sint in expeditione militari. l. ne quidam. C. eod. l. j. ff. eod. Ad milites autem otiosos, & quâ in armis non versantur, non extenditur. Simplicitati enim uerorum militum & ignorantix quoad iura, merito consulitur. d. l. j. De mil. test. At in militibus otiosis simplicitas non excusat.

At Hieronymus non fuit miles uerus, sed otiosus, & qui militis titulum honoris loco adeptus est; quos uocant equites auratos.

Hieronymus igitur privilegium militare non habuit.

III. *Obiectio.*

Qui in militia decessit, iure militari testatus dicitur. l. in fraudem. §. fin. De mil. test. Sufficit enim si in numerum militum relatus sit, qui iure militari testari uelit, etiamsi non sit in actu bellico. l. j. in fin. C. de test. mil.

At Hieronymus in militia decessit, & in numerum militum est relatus.

Iure igitur militari testari potuit.

*Responsio.*

Privilegium militaris testamenti datur militibus, aut in castris degentibus, aut in conflictu uersantibus, aut militis. Et primo quidem casu cum in castris degunt,

degunt, sed citra necessitatem hostilem: requiruntur duo testes. arg. l. diuus. De mil. test. In secundo sine testibus, etiam sanguine suo testari possunt. l. Lucius ff. eod. Tertio casu iure communi testari coguntur, §. illis. Instir. eod. l. ne quidam. C. eod.

At Hieronymus, nec in castris, nec in conflictu, nec missus fuit.

Privilegium igitur testandi non habuit.

IIII. *Obiectio.*

Cum de militis testamento aliâ constat, nõ sunt necessarii testes. arg. l. diuus. l. Lucius in prin. eod. ubi miles sicut Notario testamentum dictare poterat, ita & manu sua scribere.

At de Hieronymi testamento constat.

Non igitur opus est testibus.

*Responsio.*

Licet in castris fuisset testatus Hieronymus, coram duobus tamen testibus ad minus id facere cogebatur.

At nullos testes adhibuit.

Non igitur est testatus.

V. *Obiectio.*

Palatini, qui Cæsarem sequuntur, militari privilegio testari possunt, ex beneficio Constantini: qui non putant alienos à puluere & labore castrorum esse, qui sua signa comitarentur, quos itinerum prolixitas & expeditionum difficultas exerceret. l. j. ca. C. de castr. omn. palat. pecul. lib. 12.

At Hieronymus fuit palatinus.

Militari igitur privilegio testari potuit.

*Responsio.*

Illā constitutio non loquitur de militari testandi privilegio: sed de eo privilegio, quo palatinis conceditur, ut quicquid in palatio, uel apud principem lucrantur: id habeant præcipuum, tanquam castrensē peculium: in quo ne quidem pater usufructum habeat.

VI. *Obiectio.*

Cum de voluntate testatoris constat, nec ulla fraus interuertatur: non opus est testibus: & scriptura recognita seu confessata æquiparatur scripturæ publicæ. l. ne in arbitris. C. de arbitr.

At hinc de testatoris uoluntate constat. Est enim eius propria manus.

In nostro igitur casu non opus est testibus.

*Responsio.*

Testatoris scriptura nuda sine testibus, ualet tantum inter parentem & liberos. Bart. in l. si is qui, uers. quero, quid si testator. De testam. & in l. fideicommissa. § j. De leg. 3. Alex. in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam. (ros.

At scriptura Hieronymi nõ est inter parentem & liberos. Scriptura igitur Hieronymi iuda non ualet. Item, Voluntas est perfecta, cum seruata est iuris solennitas.

Quamuis enim ueritatis sit magna autoritas in testamentis, non tamen sufficit constare de ueritate, nisi forma à iure tradita obseruetur. l. nemo potest. De leg. j. Sic solennitas testium (quæ pro forma datur. Bart. l. neq. §. deportati. De test. mil.) omitti non potest.

At

At Hieronymus nullam iuris solennitatē obseruauit. Sic etiam in causa Landeckiana nulli testes fuerūt. Nec obstat quod dici possit ibi causam piam fuisse uersatam. c. relatum. De testam. l. nulli. 28. C. de episc. & cler. Nam & capitulum illud de testamento loquitur: & lex hæc de dispositione pij testatoris differit: quorum tamē nihil in hoc casu fuit: testamentum enim nullum fuit, ideoq; etiam nulla dispositio. Sed sæpè facimus intelligendo, ut nihil intelligamus.

Hieronymi igitur uoluntas non est perfecta.

VII. *Obiectio.*

Bona testatoris per quotas assignare, hæredis institutione importat. Bal. post gl. in l. quoties. C. fam. her. eise. Et hæc uerba (deueniat, accipiat, remaneat) sūt communia, quæ ad institutionem trahi possunt. Bar. & Doct. in l. centurio. ad fin. De uulg. & pup. Et quæ in testamento dicitur (faciant, disponant libere) causam dominiij habet. Auth. de restit. §. si uerò. Cum itaq; nihil referat, siue per directum, siue per circumstantias certum exprimit. l. certum. Si cert. pet. in institutio hæredis per dicta uerba satis certè colligitur. fa. l. cum seruus. De uerb. oblig.

At ex testamento Hieronymi manifestè apparet, quod d uxori, si ad secunda uota conuolarit, omnium bonorum hæsem: sorori autem tricentem reliquerit. & sic quotas partes assignarit.

Hieronymus igitur hæredem instituit.

*Responsio.*

Bona assignare per quotas, hæredum institutionem importat.

G s portat.

portat, si testator coram legitimo testium numero (qui ad hæredis institutionem sufficit) testetur. Si uero sit defectus huius solennitatis: non inferitur per huiusmodi uerba hæredis institutio; quia non nisi in testamentis sit hæredis institutio. l. Scæuola. ff. Ad Trebell. & ita sentit Bald. d. l. quoties, C. fam. hercisc. Idem dicendum est de uerbis cõmünibus (deueniat, accipiat) quia in testamentis possunt directò intelligi; at præter testamentũ semper obliquãtur. Doct. in d. l. centurio. At Hieronymus omisit legitimum testium numerum. Hieronymi igitur assignatio, hæredis institutionem nõ apportat. Item,

Quamuis uxor possit usufructuaria constitui: debet tamen institui hæres, qui post mortem uxoris succedat. Bal. in l. extraneũ & ibi Doct. C. de hæred. instit. Alioqui testamentũ fundamẽto carebit & erit imperfectũ. At Hieronymus licet uxorem usufructuariam in omnibus bonis per totam uitam suam reliquerit: nullum tamen hæredem post mortem uxoris instituit.

Hieronymi igitur scriptura fundamento caret, & non ualet tanquam imperfecta, ex qua ne princeps quidem capere potuisset: etiamsi alioqui solenne esset testamentum ex imperfecto. C. de testa.

## DECISIO.

Quamquã igitur alij adhuc defectus adijci possent (nisi mirũ quòd Hieronymus de bonis uxoris testari nõ potuerit: quòd dispositioni eius reclamaret) per supra dicta tamẽ satis cõstat uoluntatẽ Hieronymi, nec priuilegio militari, nec iure cõmuni ratã esse, cũq; intestatũ esse: & ideo Casparo fratri & pximo agnato cũ sorore, cui libet p sua portione locũ esse.

SEPTI-

SEPTIMUM RESPONSUM,  
in Materia Testamentaria.  
C A S V S.

**M**ichaël Laucherus testamentum fecit, in quo hæredes instituit *seine Kind*. Margareta neptis Michaëlis Laucheri dicit se esse *Kind*: ideoq; ad successioneẽ admitti debere. Nã nomine *Kind*, cõprehẽdi *Kindstinder*.

## Questio iuris.

Queritur igitur, An appellatione *Kind*, comprehendantur *Kindstinder*.

*Responsum*: Quod nomine *Filiorum*, non comprehendantur nepotes.

## I. Argumentum ex ui nominis.

Verbum filij, ppriè & naturali significatione acceptũ, nõ cõplectitur nepotes: sed eos tantũ qui ex patre & uxore eius legitima nati sunt: propterea filius regulariter non importat nepotes. gl. in l. filij De uerb. sign. & textus in l. quod si nepotes. De test. tur. & in l. liberorũ. De uerb. sign. Bal. in l. maximũ. C. de liber. præter. Quamuis autem hoc, quo ad propriam uerbi significationem, uerum sit: in multis tamẽ iuris articulis aliud seruetur. Sic ubi de filiorum prouisione & cõmodo agitur: nepotes nomine filiorum ueniũt ex interpretatione extensua (qua in fauorabilib. locũ habet) idq; ex præsumptione quadam, quæ mentem & uoluntatem testatoris uel ordinatoris talem fuisse præsumit, ut se ad nepotes etiam extenderet. Indistinctè tamen in dubio, ut diximus & regulariter, appellatione filiorum ueniunt tantum primi gradus filij, l. libertum. De excus. tur. Ang. in l. Lucius. De her. instit.

II. Argu-

## II. Argumentum ex uoluntate testatoris ex coniecturis octo.

Si de uoluntate testatoris constat, nō est dubitandū amplius. Nam ē contra in ordinationibus, in quib. mens & uoluntas ordinatoris euidenter & manifestē deprehendi non potest, filiorum appellatione, comprehenduntur nepotes. Bart. in d.l. liberorum.

At in nostro casu de uoluntate testatoris, quod appellatione filiorum noluerit nepotes cōprehendi, ex multis coniecturis constat: ut deinceps apparebit.

In nostro igitur casu non est amplius dubitandum.

I. Coniectura. Si Michaël & Barbara cōiuges nepotes includere uoluissent, non loquuti fuissent de liberis, quos adhuc acquirere possent. Nam si inter uirum & uxorem sit mētio de liberis, intelligitur, de natis & nascendis. Bart. in l. cū uir. De condit & demonstr.

At in principio suæ ordinationis de liberis locuti sunt quos adhuc acquirere possent.

Dubium igitur nō est, quin filios tantum intellexerint, nec nepotes includi uoluerint. Nam,

Filia si nubat, familiam suam mutat, & in aliā familiam transit. Inst. de patr. pot. in fin. l. fin. §. fin. Ad municip. & idēō liberi procreati, non in uir sui materni, sed in naturalis patris potestatem incidūt, cumq; sequūtur, §. at qui. De legit. agn. tut. fac. l. fin. C. de uerb. sign.

At Barbara Laucherin filia nupsit Nicolao Ingolt.

Barbara igitur familiam mutauit, & liberos quos peperit in familiam Ingoltram inseruit. Hi igitur nepotes ex filia coniugibus nostri casus acquiri non poterunt:

uerunt: sed in familiam patris naturalis insiti, citē agnati sunt. Deniq;

Patens renuncians tutelæ suorum liberorum, intelligit eos, quos in potestate habet, non nepotes ex filibus.

At Michaël Laucherus renunciauit tutelæ suorum liberorum.

Michaël igitur nō intellexit nepotes ex filia: qui sub potestatem & tutelam sui patris naturalis pertinebant: ideoq; illos in animo non habuit.

II. Coniectura. Quoties aliqua qualitas apponitur, quæ non porrigitur ad nepotes: tum nomine filiorum nepotes non comprehenduntur. Bart. in d.l. liberorū, & fac. l. fin. C. de nat. liber. l. si seruus plurimū. De leg. j. l. nec adiecit cū seq. Pro socio Facit axioma: talia sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis. l. hæc des palam. De testa l. qui sic. De uerb. oblig. l. quoties. Fam. herisc. §. posthumi. in fi. De exhæ. lib.

At in nostra ordinatione, filijs adijcitur qualitas seu appendix: quos scilicet simul iam acquisierint coniuges duos: quæ qualitas restringit filios ad eos qui sunt, primi gradus: quiq; uerē & propriē, nō sūt simul acquiruntur. fac. l. fin. C. Qui uen. xt. impetr.

In nostra igitur ordinatione filiorum nomine nepotes non comprehenduntur. Item.

In ordinatione nostra bonorum capaces & participes redduntur filij legitimi ex utroq; coniugum nati.

At nepotes duorum coniugum, nō possunt dici nati ex ipsis coniugibus. Nam per uerbum, Ex ipsis nati, intelligitur generatio, quæ sine medio ex patre & matre, nō ea quæ per inter medias personas fit. Nam pr. postisio

Ex,



Ex, propriè significat immediationē. l. eo tempore. in fin. De pecul. Bart. in l. cū filius. §. hæres. De leg. 2. & in l. nō dubium. C. de legib. Bart. in d. l. liberorum. Propterea quamvis nepotes de aui corpore sint: non tamen ex eo nati sunt: quia gignere & parere, factum & operationem quandā important: quod verificari non potest, nisi in ueris filiis immediatē de patre & matre natis. Verum enim uerō, si de ueris filiis nullus superstes esset: tum uerbū (De ipsis ambobus nati) porrigeretur etiā ad nepotes: nō quidē ex ppria significatione, sed ex favorabili quodam intellectu & interpretatione. Bar. in d. l. liberorum & fac. l. Lucius Titius. De hære. in fin. Et hoc idē receptum est, nē bona quondam defuncti ad collaterales & extraneos perueniāt. Bal. in l. Gallus. §. institutus. De lib. & posth.

Nepotes igitur in nostra ordinatione non redduntur ex pacēs bonorum. Item,

Quoties uerba ordinationis, in sua iusta, uera & naturali significatione verificari possunt: non debent ad extraneum & improprium intellectum trahi l. non aliter. De leg. 3. l. nepos Proculo. De uerb. sign. l. j. §. si is qui. De executor.

At uerbū, Ex ipsis, in sua propria, naturali & immediata significatione verificari potest: primū enim exitū qui sine medio seu immediatē sit, significat Bart. in l. cū filius. §. hæres. De leg. 2. Abb. in c. inter dilectos. De fid. instr. Et si mediatē aliquādo intelligatur: quod tamē nō ex sui natura facit, sed ex adiecta aliqua causa. Bar. in l. j. §. ex incendio. De incend. rui nauis, in l. j. C. si ser. exp. in l. non dubium, C. de legibus,

Verbum

Verbum igitur, Ex ipsis, non debet ad improprium nepotum intellectum trahi.

III. Laicus usus & cōsuetudo loquēdi, laicè intelligenda est. Nam quoties testator in sua dispositione aliquid pfert, ex quo ambiguus intellectus oriri possit: ea locutio intelligi debet secundū cōmunē usum & cōsuetudinē loci uel regionis, in qua ordinator habitat. Necesse seriō nā: existimandū est quēlibet disponentē loqui secundū loci sui consuetudinē. Et hoc uolūt iura scripta citra omnē cōtrouersā, præsertim in ultimarū uoluntatum ordinatione. Nā intellectus, qui per usum & consuetudinē regionis uel ciuitatis pbatur, omnē dubitationē tollit. Bar. in l. j. §. fin. De uent. in spec. Præsumitur: q̄ testator id uoluisse, q̄ cōsuetudo uel statuta loci sui disponit. Bar. in l. hæred. mei. §. cū ita. Ad Tre.

At appellatione liberorū qui ex ipsis cōiugib. nati sunt, nō nepotes, sed filios tantū usus laicus cōprehendit.

Appellatio igitur liberorū laicè intelligenda est. Item, Secundū consuetudinē, intelligenda & interpretanda est quælibet ordinatio, quolibet testamētum, quolibet ultima uoluntas. Non enim præsumitur disponens facere uelle cōtra cōsuetudinē: cū eius dispositio in dubio à cōsuetudine interpretationē accipiat l. si seruus plurium. in fin. cum gl. De leg. j. fac. l. Labeo, De supel. leg. l. cum de lanionis. §. sinam. De fund. instruc.

At eo tempore quo hæc ordinatio erecta est: euidentis fuit consuetudo, ut nepotes tamdiu excluderentur, quamdiu superstites essent filij.

Hæc itaq; ordinatio secundum eandem cōsuetudinē exaudiri debet, Nec enim credendum est, quōd cōi-

ges hac sua ordinatione communi totius patris consuetudini refragari uoluerint, nisi specialiter nepotes nominassent. Itaq;

**Casus omissus, habetur pro omisso. l. commo distimē.**

**De lib. & posth. l. si uerō. §. de uiro Sol mar.**

**At nepotes sunt omissi, quos cōiuges eadem facilitate potuerunt nominare, qua filios. fac. l. j. §. sin autem. C. de cad. tollend.**

**Habentur igitur pro omissis.**

**III. Actus declarat animum. l. sed Iulianus. §. interdū.**

**Ad Maced. l. quidam. De reb. dub. Et adiecta qualitas declarat dispositionē. Vnde relictus ususfructus cum prohibitione ne alienetur, declarat proprietatem esse relictā. l. Proculus. De usufr. Et qualitas personarum facit pensari facta. l. diui fratres. De lib. cau. l. fin. De act. & obl. c. nisi essent. De preben.**

**At coniuges suos filios ex annuis redditibus, qui residui essent, non autem ex sorte dotari: nec ulli plus quam duo millia florenorum dari uoluerunt.**

**Satis igitur declarauit animum suum, quod noluerint comprehendere nepotes. Et si enim Michaël Laucheris satis diues fuit: nunquam tamen filijs & nepotibus singulis bina millia ex annuis residuis redditibus, sine fortis alienatione relinquere potuisset.**

**V. Cum uulgus patrem & matrem nominat: intelligitur loqui de uero patre & matre: non de uo aut uua. Quia pater non dicitur nisi respectu filij: & ideo cum uerbū patris profertur, ad certā personam (scilicet ad patrem alicuius filij) refertur: nec ad aliam personam extenditur. l. si quis ita, in prin. De testa. tut.**

At

**At coniuges nostri in sua ordinatione nominarūt patrem & matrem.**

**Intellexerunt igitur uerum patrem & matrem: ideo cōgratantur filios, non etiam nepotes.**

**VI. Si superstes ex coniugibus cum filijs hereditatem sic diuidit, ut æquales portiones sumant: certē nepotes comprehendendi non possunt. Bart. in l. cum pater. §. dulcissimis. De leg. 2. Non enim credendum est coniuges uoluisse ut nepotes æqualem portionem cum filijs caperent.**

**At ordinatione cōiugū sic dispositū est ut filij in æquales portiones cū superstite ex cōiugibus uocentur. Nepotes itaq; comprehendendi non possunt. Nam si illi cum filijs succedunt, loco parentum suorum succedunt & in stirpes: ideoq; omnes simul non capiunt maiorem partem, quam quanta patris fuisset, si supervixisset. Itaq;**

**Si nepotes nomine filiorum cōprehenderentur: plus prerogatiue haberent, quam filij.**

**At hoc iniquum esset, & contra ius, humanamq; rationem. Nec enim debemus esse clementiores lege. Auth. de iud. §. oportet. l. si hominem. Depos. c. nō satis 86. distinct.**

**Nepotes igitur liberorū nomine nō cōprehenduntur.**

**VII. Si coniuges uoluissent comprehendere nepotes: in renunciatione (im verzig) etiam nepotes presentes esse uoluissent.**

**At nepotes in renunciatione non adhibuerunt. Sola enim filia Barbara Laucherin cum marito Nicolao Ingolt & filius Ioannes Laucher presentes fuerunt**

II in ordi-

in ordinatione & renunciarunt

Nepotes igitur contrahendi noluerunt.

VIII. Quod ordinator ipse declarat, de eo non est dubitandum. Nemo enim potest animum ordinatoris melius declarare, quam ipsemet. Voluntas enim facto declaratur l. reprehendenda, & ibi Doct. C. de instit. & substit.

At ipse ordinator Lucherus in literis uictalitijs (*im deibgeding brief*) ipse declarauit quod filios tantum, non nepotes intelligi uoluerit. Nam cum diuidere uellet cum filiis suis, duos tantum filios, duasque filias uocauit, omitta nepte Margareta.

De hoc igitur non est amplius dubitandum.

## OCTAVVM RESPONSVM. De iure Primogenituræ.

### CASVS ET QVAESTIO.

Marchio Badensis, mortuo primogenito, minimum natu successorem in Marchionatu instituit, præterito secundogenito, qui contradicit. Queritur igitur an pater in minimum natu transferre poterit principatum.

#### Responsum.

Silius primogenituræ in secundogenitum non transmittitur: & maior natu, deficiente primogenito, nulla necessitate præfertur: pater in iuniorum filium principatum iure transferre potuit: & filij ex promissione iurata obligantur. Huius propositionis sunt

sunt 4. partes: in quibus probandis totum responsum uersatur.

Verum autem prius.

Verum igitur & posterius.

### PRIMA PARS: De iure Primogenituræ: quod non transfertur in secundogenitum.

Ius quod personæ inest per modum substantiæ: est ab ea inseparabile & in nullo alio subiecto potest uerificari. arg. l. sordidorum. C. de excus. mun. lib. 10. l. nam quod. De pen. leg. l. 3. in prin. De tut.

At ius primæ ætatis seu primogenituræ inest personæ per modum substantiæ. Is enim homo est in iure, quem ætas demonstrat. l. anniculus. De uerb. sign. l. si infanti. C. de iur. delib. fac. l. fin. C. qui uen. uet. impetr. l. minor 25. annis. De minor.

Ius igitur primogenituræ à primo filio separari non potest: ad eum ut is qui secundogenitus est, ne quid sit fingi possit pro primogenito. Nam,

Quæ generaliter per naturam uerè constare non possunt, nec fingi possunt. l. adoptio. De adopt. §. minore. Institut. eodem. l. filio quem. De libero & posth.

At facillè constat nullum in natura qui secundogenitus sit, primogenitum posse dici.

Igitur nec fingi posse. Quibus consequens est, quod nec iura primogeniti, secundogenitus usurpare queat quoad effectum. Nam quod absolute non

est, nullum tribuit effectum, c. pastoralis, in fin. De rescript. c. cum accessissent. De constit. c. pen. De ecclef. & dif. l. si seruum mihi. §. j. De act. empt.

SECUNDA PARS: *Quid in successionebus dignitatum spectandum.*

In successionebus dignitatum Regalium magis attendi debet commoditas subditorum &abilitas succedentis, quam gradus uel ordo ætatis. Luc. de Penna in l. nepotes. C. qui num. lib. 10. & in l. j. C. de tyro. libro 12. qui ex philosophis, historicis, oratoribus, alijsq; autoribus probat, regni & subditorum quietem, incrementum, pacem magis considerari debere, quam sanguinis seriem. Et hanc sententiam Lucæ approbant.

I. Baldus in c. j. De feud March. qui ait, Dignitates Regales solius esse Reipub.

II. Aristoteles libro 3. Polit. cap. 11. qui ait in potestate principis esse, nõ qualeseunt ex filijs (id enim perniciosum esset) sed habiles regno præficere.

III. Naturalis ratio, ad quam in dubijs tanquam ad portum tutissimum confugitur: quæq; optimus legis clypeus est, ut dicit Bal. in l. j. §. in primo, C. de cad. toll. Quis enim negauerit iniquissimum esse, cum damno regni seniolem præferre, si maior in iunioris sit utilitas. Nã sceptræ dominationis, quid aliud sunt quam tyrannides, si à Rep. recedas?

III. Sacre literæ, in quibus primogeniti ius uariatum est. Nam Roboamus filiũ Abiã minorẽ natu, alijs filijs maiorib. in regno prætulit. 2 Paralip. 11. Et Solo mon iunior seniorib. fratrib. prælatu est. 2 Reg. 1.

TERTIA

TERTIA PARS: *Quod pater Marchio iuniorẽ filium Philippum iuste prætulit seniori.*

I. In re sua quilibet est moderator & arbiter.

At Marchio iste in re sua uersabatur.

Marchio itaq; facultatem ordinandi & disponendi ex suo proprio iure sibi ascribere potuit: quod etiam series narrationis, quæ in principio testamenti Marchionis ponitur, approbat.

II. Consensus, quo filij specialiter & generaliter se patris ordinationi circa personas, dignitates & bona, submiserunt, eamq; ratam habituros iurauerunt: causas, quibus pater ad eam ordinationem moueri potuit, approbare censetur. Nã qui uult: antecedens, uult etiam consequens. l. illud. De acq. hæred. l. ad rem. l. ad legatum. De procur. l. quicunq;. §. pen. & ibi gl. De infortor.

At in nostro casu filij in patris ordinationem consenserunt: & se ei submiserunt.

In nostro igitur casu causas, quæ patrem mouerunt, approbantur. Itaq;

Duo uincula plus stringunt quam unum l. qui filius. §. Sabinus. Ad Trebell. §. si uerò pater. Instit. de ad. opt. Auth. itaq;. C. commu. de success. fac. l. Acmilus. De minor.

At hic duplex uinculum fuit, ius scilicet patris proprium & consensus filiorum.

Facultas igitur disponendi eò firmior & ualidior erat. Nec obstat quod dici possit, consensum filiorum

fuisse superuacaneū, si pater ipse disponēdi potestatem habuit. arg. l. j. C. de thesau. lib. 10. l. j. Ad munitip. Nec enim iure prohibetur, is qui proprio iure nititur, ad cautelā, & ut sibi cautius prospiciat, aliā provisionē extrinsecus querere. Neq; enim nouum est, duplici iure eidem consuli. Item:

Patri ex iustis causis se permotum asserenti credendum est.

At Marchio pater ex iustis causis se permotum asserit ut eam ordinationem faceret. Causas enim in testamento has expressit: utilitatem, commodum, pacem, incrementū sui Marchionatus & subditorum; & ut auerteret iacturam & damnum eiusdem.

Ei igitur credendum est. Item:

Pro ordinatione patris inter filios, validissima est præsumptio. l. si mater. C. de inoff. test. l. fin. C. eam heredit. l. patrem. De his quæ in fraud. Nam pater pro filio consilium capere præsumitur. l. auus. l. tale. in fin. De pact. l. scripto. Vnd. libe. l. cū ratio. De bon. damn. Et nullus effectus paternum vincit. l. cum furiosus. in prin. C. de cur. fur. Patres enim plus filijs quàm sibi ipsi timent. l. isti. Quod met. cau. Et uirum propriam propter filios odio habent l. qui rei. §. si quis. De bon. cor. qui sibi mort. consc. Nec præsumitur pater uelle decipere filios. l. pen. §. de uno. De rit. nupt. l. nihil. §. j. De bonor. libert. Naturalis enim est patris ad filium charitas. l. nam et si in prin. cip. De inoff. test. Præterea testimonium patris tantū est, ut curator à patre datus filio furioso, à satisfactioe reuocetur, d. l. cum furiosus. §. fin. §. j. Iustit. de

de satisf. tut. Nec quicquam amplius inquiratur: sed statim confirmetur, paterna assertionē omnibus modis sufficiente. l. j. in fin. l. utilitatem. De confir. tut. Cui enim alij circa liberos disponenti credendum sit, patribus derelictis: d. l. cum furiosus. j. respon.

At in nostro casu est ordinatio patris inter filios.

In nostro igitur casu ualida est præsumptio: cum patris persona & fides semper honesta, semper sancta uidei debeat. l. liberto. De obseq. patr. quod multo magis in patre princeps locum habet, qui in tanta patris nobilitatis eminentia constitutus, ætare grauis, prudens, prouidus, sui principatus amplificator, subditorum patronus, & tam *πατὴρ* est. Quæ si singula sufficerent, quanto magis uniuersa coniuncta operari debent? arg. l. nec ei. §. & primum. De adopt. l. cum hi. §. uult igitur. De transf. astiou.

QVARTA PARS: Quod filij ex promissione iurata obligantur & possunt cogi ut se arctius & pinguius obligent.

1. Contractus principis, uim legis obtinet. Princeps enim habet potestatem legis condendæ. Bart. in l. ciuitas. Si cert. per. & commun. Doct. per l. Casar. De publ. l. fin. C. de donat. iur. uir. & ux.

At ordinatio illa Marchionis cum filijs est contractus principis.

Vim igitur legis habet & dicitur dispositio legalis. Vnde efficitur.

Cum obligatio facti surrogata est in locum obligationis legalis uel pro eius executione; promissor præcisè ad factum cõpelli potest, Bart. in l. stipulationes non diuiduntur. De verb. oblig. Salic. l. j. C. de sent. quæ pro eo.

At in nostro casu filij domini Marchionis in suis literis obligatorijs promiserunt factum, quod executione dispositionis legalis conuentum est.

Filij igitur ad factum præcisè compelluntur: etiamsi iusurandum non interuenisset.

II. Promissor facti, quod pium opus aut publicam utilitatem continet, præcisè ad promissum compelli potest. Bald. in d. l. j. C. de sentent. quæ pro eo. l. penult. De pollicit. Promissor enim operis publici præcisè cogi potest.

At filij Marchionis promiserunt factum quod ad pietatem filialem, ad publicam utilitatem & quietem commodumq; subditorum & incrementum principatus tendit.

Filij igitur Marchionis præcisè ad promissum compelli possunt. Item:

Quod iuris est de diuino actu, idem est & de publico. Nam publicum & diuinum æquiparantur. l. fin. C. de sacros. eccles.

At diuinus actus, sicut & natura, mutari non potest. Bal. in l. in adoptionem. C. de adopt.

Itaq;

Itaq; nec publicus actus mutari potest; ideoq; quæ ad ius & utilitatem publicam pertinent, præcisè sunt explenda.

III. Quando præstatio ipsius interesse non affert tantam utilitatem, quantam facti præstatio: tum si factum per aliam explicari non potest; promissor præcisè ad factum cogitur. Salic. in d. l. j.

At in nostro casu per præstationem ipsius interesse, nõ esset tantum principatus, subditisq;. Quis enim iacturam litium, inquietudinem, aliaq; incõmoda quæ per contumaciam filiorum oritur, æqua lance perpendere possit?

In nostro igitur casu filios refragantes præcisè ad obligationem ærtiorem cogendos puto: præcipueq; admonendum Ernestum existimo ut datæ fidelis meminere. Nihil enim principi turpius, quàm fidelis obliuisci.

## NONVM RESPONSVM, In causa matrimoniali.

### C A S V S.

Iacobus Philippus Adler literas amatorias facientes mentionem matrimonij & præterea annulos quosdam misit Annæ Reichlingeræ: quos illa accepauit, & in desponsationem consensit. Sed cum eadem Anna postea literas remississet (non ut matrimonij nexum rescinderet, id enim non potuisset: sed ut res maneret occultior, & per parentes utrinque commodius componeretur) iunior eius matrimonij spargi cepit: quo factum est, ut eum

H 3 mater

mater Philippi eam rem grauiter ferret, filiū minis adhibitis matrimonium negare cogeret. Hinc controuersia ad Augustanos iudices delata & Zasius de iure consultus est.

### Responsum.

Solus consensus sine uerbis pro matrimonio sufficit: dum de eo appareat. Host. in uulg. c. ruz. De sponsal. arg. l. nunt. De leg. 3. Potest autem consensus etiam prestari per nuncium & epistolam, & ex interuallo. Bart. in l. si quis mihi bona. §. iussum. De acq. h. red. & in l. si cum dotem. §. si patri. sol. matr. At Philippus in matrimonium cum Anna consensit: quod tam per literas desponsatorias, quā per coniecturas & præsumptiones probatur: idē per duas Responsi partes.

Philippus igitur cum Anna matrimonium legitime contraxit, & contra illum iniurandum suppletorium uirgini deferri potest.

### PRIMA PARS: Quod per literas desponsatorias consensus probetur.

Testibus sufficientibus credendum est.

At quod Philippus Annæ literas desponsatorias cum annulo miserit: easq; Anna apertè acceperit, testes sunt mater Annæ, duæq; eius sorores & pronuba seu internuncia Elisabetha Schmidin: quæ omnes tum fuerunt presentes.

Quatuor ergo istis testibus credendum est.

#### I. Prolepsis.

In quos cadit nimia affectio, ij ad testimonium non admittuntur.

mittuntur. c. super eo. De test. l. parentes. C. cod. At in matrem & sorores cadit affectio. Mater ergo & soror non admittuntur ad testimonium.

### Solutio.

Vbi partium conditiones, status, diuitiæ, honores, æquales sunt: aut modicè inæquales: sibi fauore matrimonij mater pro filia rectè potest testificari. Franc. Aret. in d. c. super eo. Idē multò magis de sororibus dicere licet.

At in proposito prædictæ qualitates conditionis, status, honorum, bonorum sunt æquales. Consequitur igitur sine ulla dubitatione testimonium matris & sororum in hoc negotio non posse rejici.

#### II. Prolepsis.

Testis debet suæ scientiæ sufficientē causam reddere. At mater & sorores non reddiderunt sufficientē causam: quia usq; fuerunt comparatione literarum rei. Non est igitur illis credendum.

### Solutio.

Si testis causam scientiæ excommuniter accidentibus reddat, satis est. Bal. in l. solam. & ibi Doct. C. de testamen. & in l. conuenticula. ad fin. C. de epis. & cler.

At ex similitudine literarum causam reddere, est excommuniter accidentibus reddere.

Ex similitudine igitur illa causam reddere, satis est. Nam à similitudine rerum testis legitime moueri potest.

potest; cum ea sint similia quorum eadem est qualitas. Alber. in l. non possunt. De legibus.

### III. Prolepsis.

Testi mendaci non est credendum.

At mater Annæ mendax est. Dixit enim se esse 38. annorum, cum filia sit 26. annorum.

Illi igitur credendum non est.

### Solutio.

Qui ad certū tempus se non arctavit, non potest mendacij argui. Doct. in c. fin. De despons. impub. l. hæc adiectio, De verb. signif.

At mater Annæ non arctavit se ad certum tempus. Dixit enim se circiter 38. annos natam esse.

Mater ergo Annæ non potest mendacij argui.

### IIII. Obiectio.

Proxena seu mediatrix non potest testificari de suis gestis, nisi utraque parte consentiente. Alex. consil. 150. Decius consil. 133.

At Elizabetha Schmidin fuit *προμνηστρια* seu mediatrix.

Non igitur potuit testificari.

### Solutio.

Si una pars cōsentit: tum mediator testificari: ut vult Bal. in l. omnibus. C. de test. & Ang. post gl. in Authent. De test. §. quoniam. Salic. in. d. l. omnibus.

At in nostro casu una pars consentit.

At in nostro igitur casu mediatrix testificari potuit: quæ licet esset testis parum integra, eius tamen defectus supple.

suppleret, cæteræ tres testes integra. Bal. in l. si quis ex argentarijs. §. j. De eden.

### SECUNDA PARS: Quod consensus probetur ex coniecturis & presumptionibus.

I. Ex annuli missione. Annuli missio, precedente tractatu honesti amoris, desponsationis signum est. gl. in c. tenor. De re iud. gl. in c. fin. De despons. imp. Quæ glossæ uolūt, quod in dubio annuli missio denotet matrimonium presumpsum.

At Philippus in actis fatetur se literas amatorias cum annulo Rubini misisse.

Philippus igitur presumitur non ociosè, sed animo despondendi eum annulum misisse. Hæc presumptio adiuuatur confessione Philippi. Nam,

Si ad honestum actum & modū misit munera supradicta: non potuit ad alium finem, nisi ad matrimonialem consensum mittere. Siquidem in hoc amoris genere iuuenis iuuenem puellam non potest insequi, nisi aut inhonestè ad impudicitiam aut honestè ad matrimonialem desponsationem.

At Philippus ad honestum actum & modum misit dicta munera.

Misit igitur ad matrimonialem consensum & desponsationem.

### I. Prolepsis.

Ociosus & iuuenilis amor, non est attendendus.

Philippi amor fuit iuuenilis amor.

Non igitur est attendendus.

Solutio.



*Solutio.*

Ab insolitis non sunt ducenda argumenta. Bal. in c. cum ex officij. De præscript. & in l. j. C. de ser. fug. ubi ait, id quod non sit verissimile, esse falsitatis imaginem, fac. c. quia verissimile. De præsump.

At quod adolescentens, qui non splendidioris conditionis est, tam præciosum munus (annulum scilicet 40. ferè florenorum) amicæ suæ, iuuenili amore indutus mittat: nusquam relatam, & planè insolitum est.

Id ergo verissimile non est: ideoq; propter desponsationem missio facta videtur.

*II. Prolepsis.*

Ab æquiuocis non ducuntur certa argumenta.

At annuli missio est signum æquiuocum. Abb. in c. j. in fi. De despons. impub.

Ab annuli igitur missione nullum certum argumentum sumi potest.

*Solutio.*

Annuli missio est signum æquiuocum, cum nulla alia adminicula concurrunt.

At in casu nostro alia adminicula concurrunt: ut mirum quod Anna Philippo uicissim chordam gemmarum distinctam misit, animo acceptandi hanc dispensationem & se uicissim Philippo desponsandi: qui etiam fatetur se eam accepisse, & cæteris hominibus ostendisse.

*II.* Ex dilaceratione literarum, quas ei uirgo remisit, Malum & damnum illarum semper malo animo factum esse præsumitur, Innoc. c. j. De præsump.

At

At Philippus literas quas ei Anna remisit creditur dilacerasse. Nam, ut in actis apparet, per sententiam interlocutoriam compulsus est, ut per iuramentum responderet, an literas illas amatorias haberet, an uerò lacerasset. Ea enim interlocutoria argumentum præbet, quod circa dictas literas uacillando, causam interlocutoriam præbuerit. Et sanè in respondendo articulis mirè uariavit: modò enim se illas literas amisisse: modò dilacerasse dixit.

Philippus igitur malo animo id fecisse præsumitur, ut scilicet uirgini facultatem probandi subtraheret. Fieri enim facile potest, ut monumenta quæ sunt penes eum cui nocere possunt, ab eo interirentur, arg. l. si quis tabulas. De dolo. l. qui tabulas. Ad l. Aquil. l. eos qui. De fals.

*Prolepsis.*

In re sua quilibet est moderator & arbiter. L. uero. C. de iudr.

At Philippus erat dominus illarum literarum factus per retraditionem.

Philippus igitur potuit eas lacerare pro suo arbitrio.

*Solutio.*

Quilibet est arbiter rei suæ eo casu, quo per factum alteri non nocetur, arg. l. sicuti. §. Aristot. Si seru. uend.

At in nostro casu per Philippi factum Annæ nocetur in suo iure & facultate probandi.

Philippus igitur literas pro suo arbitrio lacerare non potuit.

III. Et

III. Ex literis binis quas Philippus cum Venetijs effecit, ad uirginem dedit. Nam qui literis amatorijs acceptis erubescit, nihil contradicit, non protestatur, imò ad eas rescribit: is præsumitur eas, quod matrimonium acceptare, arg. eorum, quæ traduntur in c. cum. De off. deleg.

At cum Philippus Venetijs effecit & Anna ad eum scripsisset: traditis per nuncium literis erubuit: quo signo sese prodidit; arg. l. in fideicommissi. §. si. De usur. Nihil etiam contradixit, nihil protestatus est: nuncio sumptus Venetijs habitos restituit, florenumque insuper donauit: uirginis rescripsit.

Philippus igitur literas eas acceptauit, quoad matrimonij consensum.

III. Ex annulo altero. Nā geminata annuli missio, enixam & certissimam desponsandi uoluntatem ostendit, & ipsam euincit ueritatem. Franc. Curt. consil. 30. & 63.

At Philippus præter priorem annulum, etiam alium ante suum Venetias discessum, digito detractum, Annæ misit.

Philippus igitur certissimam uoluntatem desponsandi ostendit.

V. Cum non potest dari, nisi una ratio: ista habetur pro expressa.

At quod Philippus Annæ misit annulos, non potest nisi una ratio reddi: quòd scilicet ad honestos actus & modos miserit: hoc est, ad matrimonij honestatem. Nam in hoc animantium genere alius actus intelligi non potest. Idem de colloquio cum uirgine;

gine, per Philippum perito, dici potest.

Consensus igitur matrimonialis rectè hinc euincitur, quasi expressus. Item,

Qui alicuius uirginis imaginem circumfert: eam suam uxorem uocat: eamque ad alterius pronocationem, & inuitationem ad pocula, sine contradictione bibit: coniecturas & præsumptiones desponsationis præbet.

At Philippus Annæ imaginem circumtulit & hominibus ostendit: quod non aliter quam honestè fecisse creditur: aliàs iniuriarum teneretur. Virginis enim pudor hac re contra bonos mores notabiliter læsus fuisset. l. item apud Labouem. §. idem ait §. generaliter. De iurur. Est enim pudoris ratio habenda. l. Quintus. Mand. & maxime muliebri sexui. l. j. C. de off. diuers. iud. l. j. §. sexum. De postul. Item Annam, suam uxorem uocauit, ut attestatus est M. Casparus Tradel. Et cum Philippus Miering haustum uini exhibuisset super Anna sua sponsa (*hat ihm eins auff sein Braut gebracht*) uoster Philippus sine contradictione bibit.

Philippus igitur coniecturas sufficientes desponsationis præbuit.

#### Prolepsis.

Quod contingit abesse, non probat hoc esse. l. neque natales. C. Vnde cogn.

At prædictas coniecturas contingit abesse: nihil enim necessariò arguunt: cum aliter quàm de matrimonio intelligi possint.

Illæ igitur coniecturæ nihil probant.

## Responſio.

Regula propoſitionis procedit quādo res plurimum abeſt: at ē diuerſo ſi res plurimum a deſt, non procedit. Nam in iſtis coniecturis locum habet argumentum à communiter accideſibus & inſpicitur uſus frequentior. Ias. in l. 2. §. extraneam. De uulg. & pupil.

At in noſtri caſus coniecturis res ut plurimum a deſt. In noſtris igitur coniecturis regula ſuperior locum non habet.

**VI.** Ex minis matris. Nam minæ matris iuſtum metum faciunt. Bart. in l. j. §. quæ onerandæ. Quar. rer. actio non det qui allegat. l. metum C. quod met. cau.

At Philippo minata eſt mater ne conſiteretur conſenſum: ut atteſtati ſunt Ioannes Rot & Antonius Fuggerus. Mater quoque minata eſt ſe incluſuram eſſe filium in caſtrum Contzenberg ſi Venetijs redierit.

Philippus igitur iuſto metu percuſus creditur, ita ut ueritatem contracti matrimonii conſiteri auſus non fuerit. Itaque ex huiusmodi minis, contra matrem & reum præſumi oportet. arg. eorum quæ tradit. Bald. l. 2. C. ad Velleia. atque adeo contra reum perinde iudicari, ac ſi matrimonium eſſet conſeſſus: argumento ſumpto ab his qui teſtes impediunt ne atteſtentur. Habentur enim pro receptis. gl. & Abb. in d. c. cum cauſam.

**VII.** Ex fama publica. Nam fama publica ad inuētiſ tot præſumptionibus facit plenam fidem, gl. & Doct. d. c.

d. c. illud. De de præſumpt. Bal. in l. proprietatis. C. de probat.

At Philippum cum Anna matrimonium contraxiſſe eſt fama publica: quam etiam dominus Eltinger, imò maior pars teſtium probauit.

Id igitur ad plenam fidem facit.

## DECISIO.

Præſumptiones ſunt legitimæ probationes. Bal. l. ita demum in ſin C. de procur. per gl. in l. tutor. C. de peri tut. Decius conſil. 54. col. 2.

At in noſtro caſu multæ ſunt præſumptiones unæ cum teſtibus.

In noſtro igitur caſu legitimæ ſunt probationes iſte quoque iura Annæ actricis potiora ſunt. Quæ cum ita ſint & conſtet magnum eſſe fauorem matrimonij. c. uidetur. Qui mat. accu. poſ. c. ſin. De re iud. partes iudicum erunt pro matrimonio iudicare: maxime ne hōneſta uirgo, bonis & pudicis moribus ornata, in ſiniſtrum rumorem ſine omni iuſta cauſa incidat. Fama enim hominis theſaurus in æſtimabilis eſt. Super eſt autem ut dicamus, de iure iurando ſuppletorio. An ſcilicet in cauſa matrimoniali, & cui deferendum ſit.

*An iuſiurandum ſuppletorium in hac cauſa deferendum ſit.*

In cauſa ardua non eſt deferendum iuſiurandum ſuppletorium. Abb. in c. mulieri. De iure iur.

At cauſa matrimonialis eſt ardua.

In cauſa igitur matrimoniali nō eſt deferendum iuſiurandum ſuppletorium. Item,

Vbi intentio aëonis per testes & presumptiones plenè probata est: non est opus iurcurando suppletorio. fac. c. 2. & ibi gl. De probat. fac. l. in bonæ fidei & ibi Cyn. Bal. Salic. C. de reb. cred. Doct. in vulg. l. admonendi.

At in nostro casu intentio aëricis plenè probata est. In nostro igitur casu non est opus iurcurando suppletorio. Si tamen iudices deferendum parabant, aërici deferendum est, ut ex sequentibus elucet.

*Cui deferendum sit.*

Si pars agens quæ matrimonio incumbit, sit persona honesta, & petat in matrimonium inferiorem, vel sibi æqualem; habeatq; plenam probationem: potest ei hoc inferendum deferri. Nam id post Doctorum conflictus obtinuit, ut Abb. in d. c. mulier. latè explicat; idq; totum arbitrarium est, & in arbitrio iudicis constitutum, qui ex qualitate personarum & alijs circumstantijs iudicabit, an iusurandum deferendum sit. Host. in. d. c. mulieri.

At in nostro casu aërix Anna talis est persona. Annæ igitur aërici est deferendū iusurandum. Item, Pro quo fauor matrimonij militat. Ili iusurandū deferendum est, c. sua. De rei iud. c. uidetur. Qui mat. accus. pos.

At pro aëricis militat fauor.

Aërici igitur iusurandum deferendum est. Non autem reo Philippo. Nam,

Ei qui vacillat, non est credendum.

At in aëris serpè Philippus vacillauit, Philippo igitur credendum non est.

DECI.

DECIMUM RESPONSUM:  
In causa possessionis & spoliij.

C A S V S.

**C**Vm Dietherus Humel de Stoffenberg à generosis dominis Comitibus in Lünigen, curiā in Türckheim competentijs (ein Hof mit allen zugehörden) in feudum habuisset; eamq; illo mortuo soror eius Magdalena Volschin, tanquam hæres, occupasset: & usq; ad uitæ suæ exitum possedit: mortua illa, Comites existimantes feudo ad se reuersum esse: curiam ipsam eiusq; possessionem per certos homines apprehenderunt. Ceterum cum Iacoba filia Magdaleæ, uxor Spenderi, putaret prædictam coman iure hereditario ad se pertinere: maritus eius Ioannes Spenderus nomine uxoris eam in suam potestatem redigere cogitauit; sed prohibitus est per eos, qui paulò ante eam possessionem Comitum nomine apprehenderant. Hinc præseus controuersia orta est, quòd domina aërix se hereditate & dictæ curiæ, aliarumq; in ea existentium rerum possessione spoliatam esse conuersa fuit, & super possessorio recuperandæ agens restitui se coram Philippo Marchione Badensi, Cæsate Majestate commissario petijt. Quæ quanquam corporalem (ut uocant) & realem dictæ curiæ possessionem actualiter non apprehendit: nec unquam habuit; probare tamen conata est, quòd civilem & naturalem possessionem habuerit: primò quòd per denegationem inuestituræ, quam maritus suus petijisset, ipsa aërix pro possessore sit habenda: secundò quòd maiorem partem hereditatis maternæ apprehenderit: ideoq; & possessionem dictæ curiæ; tertio quòd

quod possessio matris ipso iure in se filiam sit continuata: quare quod possessionem hanc per familiam, quæ post mortem matris in curia relicta est, retinuerit. Quæritur igitur quid iuris.

*Responsum.*

Qui possessorio recuperandæ restitui petit: debet possessionem & spoliū probare?

At ætrix in nostro casu, nec possessionem, nec spoliū probavit.

Ætrix igitur interdicto possessionis recuperandæ uti non potuit.

PRIMUM CAPUT, De Possessione non probata.

I. An inuestitura denegata, possessio acquisita sit.

Si per inuestituram iam factam, possessio non datur, nisi sit apprehensa: multo minus per eius denegationem possessor quis constituitur.

At illud verum est, ut docet Aluar. c. j. post prin. in tit. Quid sit inuest. Innoc. in c. proposuit ad fin. De concess. præben.

Verum igitur & hoc: nec enim usquam in iure feudali tantum est, ut ex denegata inuestitura competant interdicta possessoria.

II. An apprehensa maiore parte hæreditatis, possessio curiæ sit apprehensa?

*Obiectio.*

Pars maior trahit ad se minorem. l. minorem. De ind. l. &

l. & sanm. § fin. de part. l. domum. De contr. empt. Et quod sufficiat partem apprehendere, expressum est in l. 3. De acq. possess. ubi Barr. dicit per ingressum in partem, acquiri totum: quod certè in hæreditatibus præcipuè locum videtur habere. per l. restituta. Ad Trebell. ubi re aliqua hæreditaria restituta, tota hæreditas restituta intelligitur.

At ætrix post mortem matris possessionem maioris partis rerum hæreditariarum apprehendit.

Ætrix igitur iure exigente censeri debet etiam minoris partis, scilicet curiæ, possessionem acquisivisse.

*Responsio.*

Regula superior, quod pars maior ad se trahat minorem: vera est de ipso iure hæreditario, ut indicat d. l. restituta: secus est in possessione rerum: quæ cum facti sit, non nisi in rebus apprehensis acquiri potest l. j. §. veteres. l. prædia. De acq. poss. Item, In rebus diuersæ naturæ, pars partem ad se non trahit. Separatorum enim separata est natura. l. j. in fi. De calum.

At allodialia & feudalia sunt diuersæ naturæ.

Pars ergo allodij non trahit ad se feudum.

III. An possessio, quam habuit mater ætrix, ipso iure in ætricem sit continuata.

*Obiectio prior.*

Filij non acquirunt cum patri succedunt, sed acquiruntur captiunt. gl. in c. j. ad fin. De feud. cogn. iure

enim communi possessio hereditatis paternæ in filium heredem suum continuatur. gl. in l. in suis. De lib. & posth. per l. 2. §. filium. Pro herede. & gl. Inst. de hered. qual. & diff. §. sed sui. Quod de filio diximus: idem & de filia intelligendum est. Dif. ferentia enim inter suos & extraneos, est sublata per Aucheu de hered. ab intest. §. nullam.

At adrix est si ia.

In aatricem igitur hereditas continuata fuit.

### Obiectio altera.

In veteri feudo nulla traditur possessio, cum iam vasallus ipsam habeat: & ipsa inuestitura possessio & substantia possessionis sit. gl. in d. c. j. De feud. cognit. Itaq; Aluarot. in d. c. j. De feud. cognit. ait mortuo vasallo ius feudale in filium continuari. arg. l. j. §. largius. De succes. edict.

At presentis questionis feudum, est antiquum, & in feminas hereditarium: ut in actis probatum est.

In presenti igitur questione possessio eius feudi in filiam aatricem est continuata.

### Responsio ad priorem objectionem.

Quamvis gl. in d. l. in suis. & in d. §. sed sui: dicat possessionem hereditatis à parente in suum heredem continuari: id tamen verum non est: & contrarium docuit ipsa met gl. in l. cum miles. Ex quib. cau. maior & in l. cum heredes. De acq. poss. & dicit Bald. in d. l. in suis: possessionem non transire in suum heredem siue apprehensa possessione, & r. d. d. Nam,

Possessio

Possessio sine animo retineri non potest. l. si quis ui. §. j. De acq. poss.

At morte patris, animus finitur: nec ad heredem transit. l. 4. Locat. l. si ita legatum. §. illi si uolet. De leg. j.

Morte igitur patris rumpitur & extinguitur possessio.

l. qui uniuersas. §. quod per colonum. De acq. poss.

Possessio igitur extincta in matre, non potest continuari in filiam, nisi de nouo apprehendatur. l. j. §. Scruola. Si quis test. lib. esse. Nam ut ras. in d. l. in suis: ait, in omnibus casibus in quibus ipso iure dominium sine traditione transfertur (quos enumerat gl. in l. si ager, De rei uend.) in illis nunquam transfertur possessio sine actuali apprehensione. gl. in l. si fratres. §. idem respondit. Pro socio. Facilius igitur dominium continuatur, quam transfertur possessio. Nec potest argumentum sumi à dominio ad possessionem, cum nihil commune habeant, l. naturaliter. §. nihil commune. De acq. poss.

### Responsio ad alteram objectionem.

Gl. in d. c. j. De feud. cog. loquitur de dominijs, non de possessione: idq; iuri civili consentaneum est. Nam,

Quæ doctrinæ ex iure civili fundantur: etiam secundum ius civile regulari debent. arg. l. asse toto. De her. instit. l. in summa. De re iud.

At ius feudorum in iure civili fundatur.

Ius igitur feudorum secundum ius civile regulatur: ideoq; cum iure civili dominium tantum modo, non possessio à patre in filiorum continuatur: se-

l. §. quitur

quitur quòd doctrinæ feudorum de filij continuat  
tione loquentes, non ad possessionem, sed domi  
nium referantur.

Et licet fingamus possessionem patris in filium iure feu  
dorum continuari: ista tamen continuatio locum tan  
tummodo habebit in suo hærede, qui in patris potestate  
est: Vt ergo concludamus:

Continuatio possessionis habet locum in suis.

At astricta non est sua hæres matri, Suias enim à patria  
potestate producitur. l. lege Cornelia. in fin. De te  
sta. Sed mater non habet in potestate liberos: imò  
liberi extranei dicuntur quoad matrem. Instit. de  
adopt. §. femina. Instit. de hæred. qual. & diff. §. ca  
teri. A matre igitur non est suiata.

In astricta igitur non est continuatio possessionis. Itè,  
Nemo iura suiatis habet, nisi qui est de agnatis. Soc  
cip. in l. si filius qui patri. De vulg. & pup.

At mater non est de agnatis in familia mariti.

Mater igitur iura suiatis non habet. l. illud. §. ad te  
stamenta. De contra tab. Item,

Suias filios hæredes necessarios facit.

At in feudis filia necessaria hæres dici nō potest: cum  
non succedat, si extant masculi, & semel exclusa in  
perpetuum excludatur. Aluar. de feud. fam.

Filia igitur non potest sua hæres dici: nec prodesset illi  
si sistere possidere diceretur. Nam,

Ex ista possessione non datur interdictum recuperan  
dæ possessionis. Bal. in Auth. defuncto. C. Ad Ter  
tull. & in l. j. in si. C. de appel. (ginaria.)

At ista cōtinuatio possessionis in filiam est ista & ima  
ista

Ista igitur continuatio interdictum non daret.

### IIII. An astricta possessionem per fami liam retinuerit.

#### Obiectio.

Per familiam possessio retinetur. gl. in l. consentaneæ.  
in verb. incumbit. C. quom. & quan. l. generaliter.  
De acquir. pos. ubi per hospites & amicos possessio  
retinetur.

At maritus astrictis Iacobus Spenderus misit nūcium  
ad familiam, eis mandauit diligentem curæ cu  
stodiam: ut ex actis patet.

Iacobus igitur possessorem se nomine astrictis fecit.  
arg. l. quarundam. De acq. poss.

#### Responsio.

Possessio quæ non est, per neminem retineri potest.  
arg. l. decem. De verb. obl. Nam non entis nullæ  
sunt qualitates. l. j. §. Iulianus. De itin. act. priu. l.  
eius. Si cert. pet.

At supra satis est deductum quòd possessio à matre in  
filiam non fuerit continuata.

Itaque possessio per familiam retineri nō potuit. Item,  
Possessio acquiritur per seruos aut procuratores. l. j.  
§. a dipiscimur. §. item acquirimus. §. per procura  
torem. De acq. poss. gl. in l. j. C. per quas perso.

At dicta familia nec erant serui, nec procuratores.

Per familiam ergo non potuit possessio acquiri.

Quæ cum ita sint, concludo in hoc primo capite (ponde  
raris quatuor istis quæstionibus) possessionem Curie per  
astricticem non esse probatam.

SECUNDVM CAPVT, De Spolio  
non probato.

I. Ad possessorium recuperanda duo præcipue sunt necessaria: possessio & spoliū.

At in hoc casu possessio non est probata.

Astrici igitur possessorium recuperanda non competit.

II. Qui sine uolentia uacua possessionem apprehendit: is non dicitur spoliare. Spoliū enim præsupponit uim & deiectionem. l. si quis ad se fundum. C. ad l. Iul. de ui publ. Nec deijci potest, qui non possidet. l. j. § eam qui De ui & ui arm.

At Comites possessionem uacua sine uolentia apprehenderunt. Nam possessio uacua est, quæ nec animo, nec corpore detinetur à quoquam: At dicta curia nec animo, nec corpore ab ullo homine possidebatur, ut supra apparuit. Curia igitur possessio non fuit uacua.

Comites igitur astrictem minime spoliarunt.

III. Qui civilem possessionem habet, potest eam propria autoritate apprehendere. Imol. consil. 6. qui allegat. d. l. clam. § j. De acq. poss. Nam si is qui civilem possessionem habet, potest clandestinè ingressum expellere: gl. in l. § interdictum. Vt possid. multò magis poterit uacantem possessionem occupare.

At Comites habuerunt civilem possessionem. Nam ad eos directum Curia dominium pertinebat: & prætendebant feudum ad se reuertisse, & esse apertum.

Comites

Comites igitur naturalem Curia possessionem apprehendere potuerunt. Nec præsumuntur iniuriam facturi fuisse: sed suū ius conseruaturi. Nam, Per protestationem excluditur præsumptio doli Bal. in Auth. sed cum testator C. ad l. Falcid.

At Comites per suos deputatos coram Notario & testibus protestati sunt, se non alio animo, quàm causa iuris dominorum tenendi possessionem apprehendere. Quo casu animum suum declararunt. Bart. l. Nescennius. De negot. gest.

Comites igitur à dolo excusati sunt.

## I. Obiectio.

Qui familiam compellunt, uim faciunt.

At deputati Comitum familiam compulerunt.

Vim igitur fecerunt.

## Responsio.

Etiamsi constaret famulos uel compulso uel expulsos fuisse: non tamen ideo astricti spoliata diceretur. Si enim successor singularis nec colono. nec inquilino conuentis stare cogitur. l. emptorem. C. locat. multò minus Comites in Curia reperte famulos relinquere cogebantur. Qui sicut inuicti retineri non potuissent. l. inuitos. C. cod. ita & contra excludi poterant.

At Comites nec expulerunt famulos, nec inuitos detinuerunt. Nam qui seruire uoluerunt, conducti: qui noluerunt, dimissi sunt.

Multò igitur minus astricti spoliata dici potest. Item,

III



In presentia magistratus non presumitur vis fieri, l. non est uerissimile. Quod met. cau.

At cum Comites possessionem apprehenderunt alii qui ex iustitarijs uillæ presentes fuerunt.

Comites igitur non presumuntur uim fecisse.

### II. Obiectio.

Qui scit, uel scire potest, se habere aduersarios quorum interest, debet eos citare l. j. §. & parui. l. prohibere. §. clam. cum. l. seq. Quod ui aut clam.

At Comites scierunt se habere aduersarios quorum interesset; ut est astricta.

Comites igitur non debuerunt clam & astricta non citata Curiam de facto occupare.

### Responsio.

Vacans possessio, potest sine iudice per eum apprehendi qui ius se habere præterdit l. nullus. l. qui in ius. in fin. l. capienda. §. j. De reg. iur.

At in nostro casu possessio uacauit.

Possessionem igitur Comites potuerunt apprehendere iuris sui (id est, ciuilibus possessionis) asserendi causa. Item,

Spolium sine dolo non committitur. Decius consil. 125. circ. fin.

Comites autem in dolo non fuerunt: cum putarent se ex causa, quæ ipsis iusta uidebatur, possessionem apprehendisse. d. l. qui in ius. §. fin.

Comites igitur non possunt super spolio conueniri.

### III. Obiectio.

Qui uim facit, incidit in l. si quis in tantam, C. unde uis.

At

At Comites uim fecerunt.

Incidit igitur in l. si quis in tantam.

### Responsio.

Comites non fecerunt uim. Non igitur incidit in legem.

### III. Obiectio.

Qui lite pendente aliquid nouat, in leges incidit.

At Comites lite pendente possessionem apprehenderunt.

Comites igitur in leges incidit.

### Responsio.

Litis pendentia post fori declinationem cessat. Card. in clement. 2. Ut lit. pend. Lis enim pendere non dicitur, nisi lite contestata. arg. l. amplius non peti. Rem. rat. hab. Bart. in l. quod iussit. De re iud.

At cum Comites matrem astrictis Spiram citauerunt; ipsa ad principem Palatinum forum declinavit. Nulla igitur in hoc nostro casu litis pendentia fuit.

### V. Obiectio.

Vbi æquitati locus est: ibi non est attendendus rigor iuris. Aequitas enim omnia bene æquiparat. Bal. c. j. §. ad hæc. De past. iur. fir. Et (ut Speculator ait in tit. de off. om. iud. in. §. de seruit.) ad iudicem pertinet potius sequi æquitatem quam rigorem.

At astricta magna æquitate adiuuatur. Mater enim sine contradictione possedit feudum Curix: eiq; filia in omni iure successit, & totam hæreditatem animo adijt: nec in mora apprehendendi curiarum fuit, nisi quod Comites præfugerant, & calli-

itate

ditate quadam eam anteaerterunt. quæ calliditas non debet nocere aëtrici, quæ non fuit in mora. c. imputari c. non est. De reg. iur.

In nostro igitur casu non est sequendus rigor iuris.

*Responsio.*

Aequitas quæ non est iure scripta, sed ex motu & affectione animi apparet contra ius scriptum: non est sequenda. ut dicunt Bart. Bal. Doct. in l. j. C. de legibus. l. placuit. C. de iud. Abb. c. fia. De transact. Alioqui nihil esset certum aut perpetuum in iure nostro, si quilibet causarum statum ad quamlibet somniatam æquitatem detorqueret.

Athæ æquitas ex affectione animi, non ex iure apparet.

Non igitur sequenda est.

DECISIO.

Decido igitur quòd Aëtrix, nec possessionem, nec spoliū probauerit: quodq; idè interdictum recuperandæ ei non competierit: proindeq; Comites ab hac impetitione in interdicto possessorio absoluendos esse: Ipsi tamen aëtrici in petitorio, uel super alijs suis rebus, monumentis & damnis accessorijs in hoc iudicio, actione reseruata. Super expensis relinquo arbitrium domini iudicibus: licet etiam in ipsis Aëtrix condemnanda

uideatur, ut quæ uitam agendi lubri-

cam, ne dicam ineptam,

elegerit.

VNDECIM.

VNDECIMVM RESPON-  
sum. In causa Feudali.

C A S V S.

**V**olfgāgus ab Achelſingen ab ecclesia collegiata Elmāgē in Feudū rectū habuit uillā Wasserachelſingen ſibi ſuisq; heredibus in rectum feudum concessum. Cum autem is nec in linea recta descendantium, nec in transfusa collateralium ullos cognatos habuerit: præter duas fœminas satis remotis gradibus ſibi coniunctas: queritur an defuncto eo sine liberis, Feudum ad ecclesiā reuertatur, an uerò dictæ fœminæ in illo succedat.

RESPONSVM.

Feudum nostræ quæstionis Wolfgango & ipsius heredibus datum, fœminas indubitatè excludit. Nam notissimè iuris est, quòd uerbum HAERES, in feudis uerificatur tantum in masculis, ad eosq; coërcetur, nisi specialè pacto in inuestituris fœminæ sint expressæ. c. j. §. hoc autem. De his qui feud. dar. pos. c. j. §. & si clientulus. & ibi gl. Bal. & alij. De alien. feu. c. j. §. profecto. De leg. Corrad. Aluar. c. j. Si de feud. controuers. fuer. c. j. An motus uel alit. imperf. c. j. De grad. success. c. j. De alie. feud. pat. Et pro hac doctrina Doct. passim consuluerunt, ut Lud. Rom. Philip. Corn. Soccinus, Decius, &c. Itaque in feudo puro & simplici non est quod quisquam dubitare possit, quin fœminæ à successione excludantur: imò si aliquod feudum ex pacto esset fœmineum: tamen si masculus successisset, fœmina in perpetuum excluderetur. c. j. §. quidē etiam Episc. uel Abb. & ibi Aluar.

k

CONFV-

## I. Obiectio.

In feudis hodie succeditur in infinitum. c. j. §. hoc quoque. De his qui feud. dar. pos. c. j. De feud. succes.

Ergo & feminis succedunt.

## Responsio.

Quod dicitur in infinitum in feudis succedi: id uerū est de masculis, non de feminis. Verbum enim HAERES in feudis ad solos masculos restringitur.

## II. Obiectio.

Feudum rectū, est irrevocabile. c. j. §. item si uasallus. De controuerf. inuest. Ideoq; ad feminas tanquam ad potestatem uidetur transire.

At nostrum feudum est rectum.

Nostrum igitur feudum est irrevocabile.

## Responsio.

Feudum rectum, seruat naturam feudi puri, ut scilicet ad solos hēredes masculos pertineat. Eam enim feudi naturam esse, uulgatum est ex Aluar. & alijs in c. j. ad fin. De nat. feud. Cum igitur feudum rectum nihil aliud sit, quā feudum purum: sequitur ut naturam puri seruet,

At nostrum feudum est rectum, ut aduersarij fatentur. Seruat igitur naturam feudi puri.

## III. Obiectio.

Concessum generi, etiam feminis concessum uidetur. Bart. in l. j. §. permittitur. De aq. quot. & est. Alex. in l. si mihi & Titio, De uerb. oblig. Arct. in c. nouit. De iud.

As

At hoc feudum concessum est generi.  
Ergo & feminis concessum uidetur.

## Responsio.

Bartolus loquitur in d. §. permittitur de Emphyteusi, si, ut docet Franc. Curt. consil. 47. Quanquam igitur Doctores à feudo ad Emphyteusim & contra, arguere consueuerint: id tamen in nostro casu non procedit. Nam,

Argumentum à feudo ad emphyteusim procedit, si utrobique sit eadem ratio. Nam aliās, & praesertim in successioneibus alterum ab altero differre noscitur. Aluar. in c. j. De grad. & in c. j. An agn.

At in casu nostro manifestè est diuersa ratio: nimirum quod in feudo recto perpetuum & regulare, imò de natura feudi sit, ut nomine haredum tantum masculi ueniant.

In nostro igitur casu argumentum illud non procedit.

## III. Obiectio.

Vbi feudum masculinum conceditur, illic ea feudi qualitas exprimitur: maximè in feudis nobilitum, his similibusq; uerbis. *Vnd leihen jme vñnd stemen lehens erben zu rechtem manlehen*. Id quod in stylo communi notarium est, qui stylus etiam in casibus similibus obseruari debet. arg. gl. in c. ex parte. De censib.

At in nostro casu feudum Wolfgango & eius haredibus, simpliciter sine ulla qualitate masculina concessum est. Nec enim ulli haredum feudaliū uel masculorum mentio facta est,

K z in

In nostro igitur casu concessio simpliciter de omnibus hæredibus, etiam fœminis, sine aliqua restrictione debet intelligi. Bal. in l. j. C. de ædil. edict. Bart. in l. manifestissimi. §. j. C. de furt.

*Responsio.*

Fœnda etiam simpliciter Titio & hæredibus concessa, ad masculos ex natura fœdi restringuntur: licet id non sic expressum: ut dicitur. c. j. §. profecto. De legē Corrad. Quod autem ex stylo, per scribas vulgato, hæredes masculi vel feudales aliquando in investituris exprimuntur, nihil præiudicat: quia etiam si non exprimerentur, tacite intelligerentur. Appellatione enim hæredis non nisi masculi veniunt: siue expressi sint, siue secus.

*V. Obiitio.*

In feudis ecclesiasticis, fœminæ facilius admittuntur, quod ecclesia præ alijs debet colere & fovere iustitiam. c. j. §. sed diversum. De alie. feud. præsertim cum in ecclesiasticis feudis non ita urgent servitia secularia, ut in alijs feudis. Bal. in l. quoties. C. de suis & legit.

At nostrum feudum est ecclesiasticum.

In illo igitur fœminæ facilius admittuntur.

*Responsio.*

Qui suum cuiq; tribuit, & neminem lædit: is colit iustitiam. §. juris præcepta.

At ecclesia in Elwangen si fœminas excludit, quas its feodorū excludit: ius suū servat: neminemq; lædit.

Ecclesia igitur Eluacensis si feminas excludit, colit iustitiam.

SECUN-

SECUNDA PARS: Si post mortem dicti uasalli, dictæ fœminæ & earum cõiuncti, bona feudalia ipso facto inuaderent & occuparent: an liceat domino Præposito & Capitulo propria autoritate possessionem recuperare sine metu legis, Si quis in tantam?

Possessori licet tueri suam possessionem etiam offendendo inuadentem Ang. in l. utrim. De iust. & iur. Quin & possessor resistentes expellere potest, quatenus vires suppetunt; & id faciat incontinenti. Bart. in l. clam. §. qui ad nundinas. De acquir. poss. & in l. j. §. nunciatio. De op. no. nunc. l. 3. §. cum igitur. & ibi gl. De ui & ni arm. Dicitur autem in continenti fieri, etiam cum uim passus se præparat & amicos uocat, etiam si biduo aut triduo differat. gl. in d. §. cum igitur. Imò dicitur in continenti recuperasse cum non prætermiserit diligentiam in recuperando, etiam post multos dies, ut dicit Bal. in j. C. de his qui à non dom. manu.

At civilis possessio dicti feudi, ratione directi domini, remanet penes ecclesiam Eluacensem. gl. in l. licet. & ibi Doct. C. de acquir. poss. l. 3. §. ex contrario. eod.

Ecclesia igitur potest propria autoritate occupatores bonorum feudaliū etiam resistentes expellere, nec propterea incidet in pœnam l. si quis in tantam. Quin imò si interea occupatores peterent à principe vel superiore confirmationem possessionis, nihil agerent, l. autoritate. & ibi Bart. C. unde ui.

k 3 fac.

fac. l. j. C. si per uita. Hoc tamen non est præterueniendum, quòd si occupatores eatenus resisterent, ut rixa, cædes ue timeri possent: eo casu cedendum esse resistentibus, ne nostri autores sint maioris tumultus. l. non est singulis. De reg. iur. l. æquissimum, in prin. De usufr.

## CONSILIVM VI. TOMI II.

### De seruitute seu iure uenandi.

#### C A S V S.

*Instructio iuris pro præposito ab Elwang, anno 1533.*

**S**igmundus & Christophorus de Welwarten, in Herdegi & Ioannis Conradi filij eius, nobilium ad Hirnheim nemoribus & syluis, 20. 30. 40. 50. 60. annis & tanto tempore, cuius initij non extat memoria, uenaticum à syluarum domino, nobili ab Hirnheim, in hac causa Reo, prohiberentur: allegarunt præscriptionem, qua ius & seruitutem uenandi acquisissent. Ad eius rei fidem allegarunt inter cætera, quòd patientia & scientia dominorum, aliquando unà cum ipsis dominis, aliquando soli uenati sint: quòd & captam prædam inter se diuiserint: alteris alteros ad uenerandum inuitauerint. Ex fama quoque uicinarum & domo uenatoria (quam in sylua communibus expensis refecerint: & in qua uenatores receptum habuerint: quare ideo seruituti causam continuam præbuerint) argumenta petita fuerunt. Et quia tempus ultra memorabile allegatum fuit, bonam fidem non fuisse necessariam, disputatum fuit. Atque hæc de Actoribus. Reus contra, ut fendi dominus, sibi & non actoribus ius uenandi in dicto fundo & maxime in locis, circa litis contestationem siue responsonem ad libellum nominatis, competere

petere asseruit: & quòd nunquam passus fuerit uicinos aliquo iure uenari, sed quòd quamprimum actores id conati sint, obstitit & impeditur: sæpes & septa ad uenandum extructa, præciderit: neque unquam aliter quàm iure familiaritatis uenari passus fuerit. Queritur igitur quid iuris sit?

#### R E S P O N S V M.

**PRIMA PARS: Confirmatio, quòd Actores & eorum autores ius uenandi habeant.**

#### I. A' præscriptione ex tempore ultra memoriali.

Tempus cuius non extat memoria, dat præscriptionem in seruitutibus discontinuis. gl. in l. seruitutes. 14. De seruitut.

At in nostro casu est tempus, cuius non extat memoria: sicut apparet ex dictis testium qui de 20. 30. 40. 50. 60. 70. & pluribus annis attestati sunt & uenationibus ipsis interfuerunt.

In nostro igitur casu ius uenandi per actores est præscriptum. In remotissima enim tempora id sursum uersum durasse præsumitur, cuius certum non apparet initium. l. si arbiter. & ibi gl. De probat.

#### II. Ex coniectura de domo uenatoria sumpta.

Cui competit signum, ei etiam signatum competit. l. signata. C. de fabricens. lib. 11.

At actoribus competit signum. Domus scilicet uenatoria in monte Büchelburg, quæ ab antiquo

communis fuit tribus familijs, nempe Herdego de Hirnheim & Welstein, Ioanni de Hirnheim & Niderachsfingen & nobilibus de Welwarten.

Actoribus ergo etiam signatum, id est uenatio, competit. Nam in quorū usu domus in uenatoria antiquitatis fuit, si etiam ius uenandi in ijs locis, in quibus domus ista ut receptaculum uenatorum & canum constituta fuit, habuerunt. Assumptio autem quod actoribus domus uenatoria competat, approbatur hoc prosyllogismo.

Qui in eandem domum cum canibus & instrumentis uenatorijs diuertunt, & prædā inter se diuidunt illi ius in ea domo creduntur habere.

At actores in eam domum uenatoriam cum canibus & instrumentis uenatorijs diuerterunt, abeundi & redeundi facultatem pro cōmodo uenationis semper habuerunt, & prædam captam inter se diuiserunt, partesque ferarum acceperunt.

Actores ergo ius habent in ea domo. Item,

Qui actum facit, qui sumptum requirit: præsumitur interesse habere.

At actores actum fecerunt, qui sumptum requisierunt. Nam cum reo domū istam uenatoriam factam testam suis impendijs diu præstiterunt.

Actores igitur in domo interesse habent.

### III. Ex fama & communi hominum, in eis locis habitantium, opinione.

Fama communis, præsertim cui accedunt testes & alie coniecturæ: nõ tam fidem, quàm ueritatem ipsam docet: quod Zasius multis testimonijs Doctorum,

Bald.

Baldi, Innocentij, Angli, Barbatia, fulcit. Vide l. si arbiter. De probat. & Zas. ad l. j. Si cert. pet.

At in nostro casu fama cōmunis est hominum in illa uicinia habitantium, quod actores in syluis & nemoribus, de quibus agitur, uenandi facultatem habuerint. *Das bey den jnwonern vnd nachpauern, so der end sitzen, ein geschrey vnnnd haltung seye, das die bläger vnd jre vorfahren, der enden zu jagen vnd haben haben.* Et huic famæ accedunt superiores testes & coniectura.

Illā igitur fama fidem meritò facit.

### SECUNDA PARS: Confutatio argumentorum Rei.

#### I. Obiectio seu prolepsis de re aliena & iure dominij.

In re aliena uenari, aut lignis ad capiendas feras succi syluam cingere (uulgò *hagen*) aut alia id genus usurpare nõ licet. § planè. Inst. de rer. diuis. l. diuus Pius. De seruit. rust. præd. Diuus Pius ita rescriptis: *ἐπιτιμὴ ἐὺλογον ἀκούτων τῶν δεσπότων ἡμῶν ἐν ἀλλοτρίοις χωρίοις ἰξέβαρ.* Vide c. nemo retia. De pacc. Constit. in uisibus Feudorum. Imò in iuriarum tenetur, qui talia usurpat. l. iniuriarum. §. si quem. De iniur.

At sylua, nemora, saltus, de quibus agitur: pertinet ad reum iure dominij, cum iurisdictionibus, multis seu banis uulgò *Forst*, & alijs pertinētij & utilitatibus. Hoc enim ex testibus utriusque partis & ex instrumento emptionis satis liquet.

k 5

Actori-

Actoribus igitur non licuit in his syluis uenari, syluis cingere, aut alia usurpare.

*Responsio.*

In re aliena nihil usurpare licet, nisi quis habeat ius seruitutis.

At actores in prædictis syluis ius seruitutis seu ius uenandi habuerunt.

Actores igitur non nihil in illis syluis usurpare queunt.

*I. Obiectio ex prescriptione.*

In iuribus incorporalibus (ut est uenatio) requiritur tempus ultra memoriale. gl. in l. seruitutes. 14. De seruit. Ad quã prescriptionẽ seu tempus ultra memoriale, necesse est ut testes attestentur se semper uisidisse & audiuisset id seruari: nec unquam diuersum uel uidisse, uel audiuisset: & quod ad centum annos usque fuerit communis fama & opinio.

At horum nihil per actores est probatum. Nullus enim testis dixit actorum maiores uenationem ultra hominum memoriam exercuisse: aut à centum annis communem opinionem fuisse.

Actores igitur nullum ius habent.

*Responsio.*

Acquiescentia tantum operantur, quantum propria & formalia. Bald. consil. 262. Alex. in l. 3. §. Ideo. De test. & in l. j. §. fin. De uerb. obl.

At in nostro casu testes etsi non de centum annis, de æquipollentibus tamen attestati sunt: cum dixerunt actorum auctores ante 20. 30. 40. 50. 80. annos, imò per tempus cuius initij apud seniores non extaret memoria: uenandi ius exercuisse, quæ uerba sunt æquiualentia. In

In nostro igitur casu ista attestatio tantum ualeat, quantum propria, præsumiturque seruitutem uenandi à centum annis durasse, quæ memoriam testium ualde longæ uenationis excedit: idque tantum attestati uidentur, quantum si centum annorum curriculum expressissent.

*III. Obiectio ex prescriptione.*

Ad prescriptionem legitimam requiritur non solum titulus, sed & bona fides. Instit. de usucap. Barr. in l. Celsus in fin. De usucap. & in l. j. C. de usucap. trãfor. Doct. in c. si diligenti. De prescript.

At actorum auctores nec titulum (quia nullus in actis est allegatus) nec bonam fidem habuerunt: quia contra iuris prohibitionem in re aliena seruitutem usurparunt. Actores igitur nullam prescriptionem allegare possunt.

*Responsio.*

Vbi est prescriptio temporis ultra memorialis, ibi frustra de titulo & bona fide disputatur. Nam hoc casu titulus non requiritur & insuper bona fides præsumitur. Ea enim prescriptio habet uim privilegij & præsumitur concessio & consensus eorum, quorum interfuit. Corn. consil. 304. qui allegat. l. si filius. C. de petit. hered. l. qui in aliena. & ibi Bald. Ang. De acq. hered.

At in nostro casu est prescriptio ultra memorialis. In nostro igitur casu frustra disputatur de titulo & bona fide.

*IIII. Obiectio ex prescriptione.*

Iura incorporalia non possunt prescribi, nisi sciẽte & patiente

patientie aduersario. Nam in scientia & particta aduersarij consistit quasi possessio iurium incorporalium. l. quoties. De seruitut.

At actorum autores usurparunt uenationem Herdigo de Hirnheim domino sylvarum absente & ignorante: imò cum rem cognouisset, sepe(m (den hag) destruenté.

Actorum igitur autores nō præscripserūt ius uenandi.

*Responſio.*

Ex ipso facto apparet uoluntas, l. reprehendenda, C. de instit. & substit.

At dominus sylvarum tam ipse, quàm per præfectos, famulos & familiares suos interfuit eiusmodi uenationi, quā exercuerunt nobiles de *Wewelwarté*: quod per testes affirmatum est.

Domini ergo uoluntas, apparet: nec refert, quòd sepe destruxerit: id enim tñ fecit, cū ius actorū infringere & usucapionē nimis serò interrūpere uellet. Itē: Per actus frequētes, notitia domini præsuntur. Cornel. consil. 268.

At in nostro casu actorum autores actus frequentes exercuerunt.

In nostro igitur casu notitia & scientia domini præsuntur.

*V. Obiectio ex actu indifferenti.*

In actibus indifferētibus, qui tam iure familiaritatis, quàm iure proprio fieri possunt: potius actus familiaritatis, quàm iuris proprii præsuntur. In iuribus enim incorporalibus nō sufficit iure aliquo uti cepisse nisi probetur iure seruitutis aliquē usum fuisse.

Innoc.

Innoc. in c. cū ecclesia Sutrina, De cau. poss. & propr. Nec enim uerisimile est, quòd quis iactet res suas. l. cū de indebito. De probat.

At uenari in alterius syluis & nemoribus, est actus indifferens, qui tam iure familiaritatis, quàm iure proprio fieri potest.

In uenatione igitur potius actus familiaritatis quàm iuris præsuntur: præsertim cū nemora ista & saltus constet iure proprietatis ad rem pertinere: eumq; etiam secundus testis attestatus sit eam uenandi facultatem ex gratia & precariò concessam fuisse, *Es seyen auß freundschaft beschehen.*

*Responſio ex actus qualitate & differentia.*

Actus qui sunt causa utendi seruitute, iure proprio fieri præsuntur, non ex familiaritate aut precariò.

At lignis, ad capiēdas feras succis, syluam cingere (*hagen*) est actus qui sit causa utendi seruitute: cū actorum autores uisunt.

Is ergo actus iure proprio, nō ex cōcessione precaria factus præsuntur. Deinde quòd ad testem attinet.

Vnicus & singularis testis, nihil probat.

At testis qui uenationem ex amicitia & precariò concessam dixit, unicus & singularis est.

Nihil igitur probat. Item,

Testis, qui se iudicem facit, rejicitur.

At iste testis se iudicem fecit: dum ait actores non habere ius uenandi. Testis enim non de iure, sed de facto attestari debet. Innoc. in c. cū causam, De testib. Doct. in l. testium. C. eod.

Reijciendus igitur. Deniq;

Scriptus



Seruus qui iunculo seruitutis non est relexatus, testis esse nequit.

At iste testis seruus rei est, nec est iunculo seruitutis liberatus.

Non ergo est idoneus testis.

#### V I. Obiectio ex affinitate.

Inter coniunctas presumitur liberalitas. Bart. cõsil. 16. qui allegat l. si seruus communis. De don. int. vir. & ex. l. Procula. De probat.

At reus actorum autoribus affinitate fuit coniunctus.

Actorum igitur autores ex liberalitate & gratia uenationibus istis usi presumuntur.

#### Responso.

Presumptio fragilis, ut quæ esse & non esse potest. in dubio nihil probat. c. in presentia. De probat.

At quod inter coniunctas presumitur liberalitas: id fragile est.

Illa igitur presumpcio nihil probat. Itaq;

Quæ facti sunt probatione indigent.

At concessio uenationis ob affinitatem, est facti.

Concessio igitur probanda est. Deniq;

Si affinitas concessionis causa fuisset: affinitate soluta, etiã uenatio sublata fuisset. gl. in l. sed hoc ita. De re ind. Sublata enim causa, tollitur effectus.

At affinitate soluta nihilominus actorum autores uenati sunt.

Affinitas igitur huius concessionis causa non fuit.

#### V I I. Obiectio.

Fructuum participatio uel communicatio non arguit communicationem proprietatis. Salic. in l. si patruus.

C. com.

C. com. utri. ind.

At actorum maiores fructuum participes fuerunt. Cum enim laborẽ in uenando sustinerent, gratitudinis causa partem & præda abstulerunt.

In nostro igitur casu nõ cõsequitur proprietatis communicatio: nec per participationẽ prædæ, cõmutatur actus precarius; quia à primordio tituli posterior formatur euentus. l. j. C. de impon. lucrat. descript. lib. 10.

#### Responso.

Si actorum maiores tantum prædæ participes fuissent, in domo uenatoria tamdiu sumptus non fecissent.

At diu sumptus fecerunt.

Non igitur tantum prædæ participes fuisse uerisimile est.

#### V I I I. Obiectio.

Seruitus personalis, morte uentis extinguitur nec ad hæredes extenditur. gl. & Doct. in l. ut pomum. De seruit. Bart. in l. item Mela. De alim. leg. gl. in l. pecoris. De seruit. rust.

At ista uenatio fuit seruitus personalis: utpote quæ non prædio, sed personæ debita fuit.

Ista igitur uenatio morte uentium est extincta.

#### Responso.

Realis seruitus ad hæredes extenditur.

At uenatio est seruitus realis: idq; duplici ratione. Nam primò huiusmodi seruitutes Germaniæ etiã in iure ciuili ad uerbum expressæ non sunt: tamen consuetudine notissima reales sunt, quod in Germaniã notorium est: ut Faber tenet in §. præiudiciales. Instit. de Actio. Deinde quod ea seruitus non personis sed plerumq; uille alicui, aut æri tanquam fundo do-

minant

minati debetur: ut Zasius disputat ad §. æquæ. Infit.  
de ac. Sic castrum Linroden fundum dominantem  
refert: & sylvæ seu nemora castri Welstein ad nobiles  
de Hirnheim pertinētia, fundum servientē exhibent.  
Venatio igitur ad heredes extenditur.

## IX. Obiectio.

Servitus non utendo amittitur l. fin. & ibi Bal. & Doct.  
C. de servit. & aqua. l. sicut. & ibi Barr. C. cod.  
At actores per 20. annos & amplius usi non sunt.  
Amiserunt igitur servitutem.

## Responsio.

Contra minores & absentes nō currit præscriptio. l. fin.  
ad fin. & ibi gl. & Doct. C. in quibus cau. in integ. resti-  
tut. non est neces. Bal. in l. 3. C. quibus non obijcitur  
long. temp. præscrip.

At actores fuere minores & absentes causa studiorum.  
Itaq; cōtra actores nō currebat præscriptio, nec potuer-  
re, in minore ætate & absentia constituti ius venandi  
per suos maiores præscriptum, non utendo amittere,

## DECISIO.

Per prædicta sententiā pro Actoribus ferendam, & sic  
pronunciandū censo: quod ius venandi in sylvis & ne-  
moribus Rei per maiores Actorum legitimè præscriptū,  
cum iuribus & necessarijs ad ferarum sylvestrium venan-  
tionem, ad Actores & eorum heredes pertineat: Reob; nō  
liceat Actores in illo venandi iure molestare, prohibere,  
aut turbare: cautionemq; super præmissis sufficientē præ-  
stare debeat: alijs tamē iuribus, pertinentijs, usibus, utili-  
tatibus, Reo in dictis sylvis ratione dominij & proprietatis  
competentibus, semper & in omnibus salvis.

CONSI-

CONSILIVM GERMANI-  
cum tertium.

Hoc Consilium habet quinque par-  
tes: ut sunt.

I. Exordium, *Der Eingang, haltet in sich ein syllogismum,  
Ein Jurist so er von seinen herrē vmb rathsschlag angelagē  
wirt, soll er den handel mit pflichtiger gehorsame ab-  
nemen.*

*Zasius ist ein Jurist, so von der Regierung zu Ensisheim  
vmb rathsschlag ist angelangt worden.*

*Derhalb hat er den handel mit pflichtiger gehorsame sol-  
len annemen.*

II. Narratio, *Die Ergellung des handels, das namlich der  
Abt zu Rott die Pillerseher leuth in possessorio fürge-  
nommen, vund sye den Abt hinwider a ßione negatoria  
beßlagt, welcher sein gegenwehr mit allerley fundamen-  
ten fürgewendet hat, so turtz mit vnd neben der Piller-  
seher leuthen gegenfechten vund beschirmungen, erzelt  
werden.*

III. Propositio, *vund der hauptpunct des Consilij, das die  
ßläger den bßßern grund haben.*

IIII. Confirmatio, *die Beweisung der ßlägern Rechtis,  
so auff zweyen fürnemmen argumenten behüet. Erst-  
lich das der Abt die dienstparkeit mit bewisen hatt. Zum  
andern das der Apt vmb ein grwin sichter, die ßläger aber  
für ein schadē. Diese zwey argumēt wöllen wir in zween  
Syllogismos ziehen, darauff dan das gantz Consilium  
gegründt ist.*

V. Decisio: *Wie die Vriel soll gegeben werden.*

L

Der

## Der Erst Syllogismus.

Wan ein dienstbarkeit durch rechtmäßige weg nit bewi-  
sen wirt, so wirt vermutet das die personen oder güter  
frey seyen. Ibi, dan das ist ye war, &c.

Nun hatt der Abt auff den klägern die dienstbarkeit, oder  
weichsteuer nit bewisen. Ibi, Ob aber genanter, &c. In  
difer Assumption werden des Abts argument refutiert  
vnd widerlegt, dan er hat keine regalia, kein subsidium  
charitativum, kein emphyteusim, kein praesumptione,  
kein consuetudinem, kein possessorium, kein exemplum  
vicinorum zu seinem fürgeben anziehen können.

Derhalben wirt vermutet das die kläger frey seyen.

## I. Per regalia non probant.

Die Statuten seind Regalien. Ibi, vnd zum ersten, &c.

Der Abt hat keine Regalien. Ibi, Aber wir, &c.

Derhalben hat er kein weichsteuer.

II. Non probant per subsidium  
charitativum.

Zwa vnder schidlich namē seind, da ist auch ein vnder schid-  
liche art vnd natur. Ibi, dan das Keiserlich.

Zweichsteuer aber vnd subsidium haben abgesonderte na-  
men. Ibi, dan weichsteuer, &c.

Derhalben seind es auch abgesondert gerechtigkeiten. Ibi,  
vnd darumb.

III. Non probant per Em-  
phyteusim.

Emphyteuta vnd hauber die ire außgezeigte, eingeschrib-  
ne vnd außgelegte sondere dienstbarkeiten haben: kön-

nen

nen außs kafft solcher außgelegten pflicht zu keiner wei-  
teren dienstparzeit gezwungen werden. Ibi, außs diseer  
erklärung.

Die kläger seind Emphyteota vnd vrbarsleit. Ibi, Zum  
dritten, in versiculo, so können wir doch, &c.

Darumb können sye zu dieser dienstparkeit nicht getriben  
werden.

## Item syllogismus connexus.

Ob die kläger gleich nit Emphyteota, sonder eigen wa-  
ren, gebürt es doch dem Apt nit sie nit weiteren satzun-  
gen zubeschwären. Ibi, vnd ob sie gleichwol.

Aber es erfindt sich nit das sie eigen seyen. Ibi, Das aber  
herr Abt.

Derhalben kan er sie nit weiters beschwären.

IIII. Non probant per Prae-  
sumptionem.

Zwa pacta seind, da muß ein contract bewisen werde. Ibi,  
Zum vierdten.

Nun hat der Abt kein contract bewisen.

Derhalben ist auch kein pact zuermuten. Item,

Zwa menschen gedächtnuß ist, da hatt kein praesumption  
stat. Ibi, So nun, &c.

Nun ist in disem fall in menschen gedächtnuß das die klä-  
ger einem Abt kein weichsteuer gegeben. Ibi, Ange-  
sehen, &c.

Derhalb mag dise vermütig einer vnsüddächliche handt  
reichung nit stat haben. Ibi, Darzu so viel.

V. Non probant per Consectu-  
dinem.

Ein gebrauch oder gewohnheit ensteht außs einem ein-  
helligeti

hellenen willen des volcks, vnd so kein gemeiner widerspruch dazwischen fürfelt. Ibi, dan wiewol, &c.

Nun haben die kläger nie in diese Steuer bewilliget, sonder haben sich offi widersetzet. Ibi, das will sich, &c.

Derhalben ist es kein brauch oder gewohnheit. Ibi, solche handlungen, &c.

Item syllogismus connexus.

So diese handtreichung nur ein verehrung gewesen ist, so mag man es kein Steuer nennen. Ibi, So es nun.

Nun ist es nur ein verehrung gewest. Ibi, Es ist auch.

Derhalben mag es kein Steuer sein.

Prolepsis: vnd jrt der Fürstlich beuelch nichts, dan

So ein beuelch wider den andern aufgangen ist, so gilt keiner viel. Ibi, Deshalben man, &c.

In diesem fall ist ein beuelch wider den andern aufgangen. Ibi, Wiewol mit minder, &c.

Derhalb gilt keiner viel. Ibi, Darumbt will ich mich, etc.

V I. Non probauit per sententiam  
possefforij.

Die vrtheilen so auff vngheorsame der einen Parthey ohn gnugsame erfahrung des handels ausgesprochen werden, bringen der andern parthey keinen vrtheil. Ibi, dan die vrtheilen, &c.

Diese vrtheil ist auff der kläger vngheorsame ergangen. Ibi, dan dieselbig, &c.

Derhalben bringe sye dem Abt kein fürstandt. Ibi, bringe meiner, &c.

Item syllogismus connexus,

So die vrtheil beyden theil die hauptsach hat vorbehaltē, so bringe sye dem Abt keinen behilff. Ibi, Es hat auch.

Das erst ist wahr.

So ist das ander auch wahr.

V I I. Non probauit per exempla vicinorum  
Syllogismus connexus.

wan der Abt sonst wircksame begründung hette, so möcheten die lundschaft der vmbbligeden etwas zustadt thun.

Ibi, wan Abt Maurin, &c.

Aber er hat kein andern grund. Ibi, Aber das allein.

Derhalben mag kein schiefsich endtschafft argument darauff genommen werden. Ibi, Dan es mag, &c.

Der Ander principal Syllogismus.

Der Richter soll allezeit geneigter sein auff entladung der beschwärd, dan auff beladung vrtel zugeben. Ibi, So soll auch.

In diesem fal bezeucht sich des Abts forderung auff ein gwin aber der kläger beschirmung auff ein aufgab vnd ein schaden zu verhüten. Ibi, Es ist meins, &c.

Derhalb der kläger gerechtigkeit in einem zweifel billich günstiger ist. Ibi, Deshalb, &c.

S V M M A ANALYSE OS P R A E -  
cedentis consilij, qualis etiam reli-  
quorum esse potuit.

I. Analysis Rhetorica hinc copiosa efficit, præcipuè in metaphoris. Vt sunt gegemehr, gegeschiedē, beschirmung, gegründet, vmb ein gwin sechtē, entladē, beladen, beschwären, &c.

II. Logica Analysis præcipua est propter methodū partium, Exordij, Narrationis, Confirmationis, Confutatio-

tionis, Perorationis, Syllogismi perpetui & continui sunt: & eorum cryptis, ellipsis, redundantia & hysterologia multiplex.

II I. Ethicæ Analyseos exempla sunt in Zasio, obedientia erga magistratum, fidelitas, iustitiæ & veritatis amor & studium in cōsulendo, item æquitas, Econtrā in Abate apparet pleonexia & lucri cupiditas, quæ isti sacræ nationi peculiaris & quasi innata est.

III I. Politica post Logicam copiosissima est: de libertate & servitute, de Regalibus, de subsidio charitativo, de Emphyteusi, de præsumptionibus, de consuetudine, de possessorio & petitorio.

## ZASII ALIVD RESPON- sum, nunquam prius editum.

### De Matrimonio inter Consobrinos.

#### QVÆSTIO IVRIS.

**E**X Facto proponitur, An consobrini, habita summi Pontificis dispensatione, matrimonium contrahere possint: & an Pontifex in tali casu dispensandi facultatem habeat.

#### RESPONSVM.

Consobrini dicuntur, qui ex duabus fororibus: vel ex fororibus & fratribus procreantur iuxt. §. quarto gradu. Instit. de Grad. De quo per Ang. & Viglium Instit. de Testam. in rubr. cū simil. Hos consobrinos de iure civili matrimonialiter, sine ulla dispensatione coniungi posse, patet ex §. duorum. Instit. de nupt. l. celebrandis. C. eod. l. 3. l. non solum. De rit. nupt.

Verum in foro Canonico, promiscua illa coniungendilli  
bertas

bertas, fortasse propter publicā honestatē, restricta est, & inhibitorium, eas personas quæ sunt in secundo gradu (iuxta computationem iuris Canonici, c. ad sedem. 35. q. 1. c. de incestis. 35. q. 2. & 3.) matrimonialiter coniungi. c. non debet. De consang. & affinit. Quapropter videri posset dispensationem Papæ hoc casu non habere locū, cum his nouissimis statutis ecclesiasticis standum sit. c. j. De constit. lib. 6. Accedit constitutio Clementis Papæ in extravagante, cuius initium, Qui plerunque in futurorum euentibus, &c. De consang. & affin. qui dicit quod non intendat deinceps dispensare cum his, qui scienter sub spe veniæ in gradibus prohibitis matrimonia contraxerunt. Quæ extra uagans non immeritò attendi debere uidetur iuxta doctrinam Felini in c. pastoralis. De fid. instrum. & in c. j. De treug. & pac. cum similib. Faciunt quæ ex uerbis Augustini libro 15. cap. 15. de Cinit. Dei colligi possunt, qui dicit, in consobrinis propter gradum propinquitatis fraterno gradu proximum, propter uicinitatem maiores suos conubia reputasse illicita. Et dicunt quidam Theologi, seipsos experimento didicisse, sobolem ex eo matrimonio genitam non posse succrescere: sed frequenter primogenitos mori, imò & parentes, nedum prolem, morte citò deuorari. Et dicit Greg. in c. fraternitatis. 35. q. 10. qui huiusmodi impedimēta intra quartū cōsanguinitatis gradū soluit, uerbū Dei negare uideri. Quod ex publicæ honestatis iusticia apparere satis pōt, cū autoritate ecclesiæ ista nuptialis commixtio intra quartū gradū prohibita sit: & fac. gloss. singularis in c. j. de sponsal. c. j. De despons. impub. ad quod facit l. semper. De rit. nupt. quæ dicit

in cōtrahendis nuptijs nō solum quod liceat, sed quod deceat & honestum sit, spectandum esse. Per prædicta uidetur Papa inter consobrinos dispensare non posse. Nā in his quæ sancti patres benè definierunt, dispensandi facultas adimitur, c. sicut quidam. 25. q. j. In quam partem multa congeri possent, quæ omittimus. Et concessio quod harum rerum dispensatio in potestate Papæ sit, iuxta not. in c. per uenerabilem, & ibi Abb. Qui fil. sint legit. Doct. post gl. in c. literas. De restit. spol. tamē non nisi ex iusta causa dispensare poterit. Verum nulla nobis allegata est uel publicæ pacis, uel perniciosi belli extinguēdi, aut alia similis causa, atq; adeo Papa nulla expressa uel apparente causa dispensando, potius dissipare quā dispensare uidetur. Felin. post Doct. in c. quæ in ecclesiarum. De constit. Mar. Salom. in l. fin. cod. Et fortè impetrans dispensationem, in foro poli non esset tutus. arg. c. fin. De præscript. & Alciat. in l. quinque pedū. C. fini. regund. fac. not. in c. ex publico. De conuers. coniug. gloss. in c. non est, ibi Doct. De not. Innoc. in c. 2. De renouac.

Sed his non obstantibus, contrariam partem de iure ueriores pono. Pro cuius resolutione, sciendum quosdā gradus esse de iure nature uel diuino prohibitos, ut inter ascendentes & descendentes, ut per Doct. communiter in d. c. literas, post gl. De restit. spol. & in c. pistorium. ibi gl. magistra. 30. q. 3. ubi etiam lex Leuitica allegatur, de qua tamen nihil ad propositum. Alios uerò gradus, puta collaterales, non quidem de iure diuino, sed de iure proposito usq; ad quartum gradum inclusiue prohiberi. c. cum inhibitione. De clandest. despons.

Cyn.

Cyn. Bal. in d. l. celebrandis. C. de nupt. Quo casu plena est facultas Papæ dispensandi, etiam in secundo gradu secundum computationem iuris Canonici, saltem in linea æquali, quo gradu sunt consobrini. Quod autem Papa in eis dispensare possit, supertuancum esset multis demonstrare: quia in hoc omnes Doct. Canonice concordant in d. c. literas post gl. in c. gaudemus. De diuort. & alibi. Et dicit Hostiensis in sua summa, in tit. Qui filij sint legitimi. uers. qualiter. & in tit. de consanguin. & affinit. §. usque ad quod: ueteri lege seu primæua naturali diuina, filios duorum fratrum seu sororum, matrimonium contrahere non fuisse prohibitos; sed quod hac in parte impedimentum solæ constitutiones ecclesiasticæ introduxerint: quod ipsum Papa rursum tollere potest; allegat. c. fin. Qui fil. sint legit. c. de infidelium. De consang. & affinit. Vtrinq; enim probat Papa infidelium filios, tametsi intra quartū gradum consanguinitatis progenitos, legitimi status fore. Hanc ipsam conclusionem Ioan. And. in d. c. per uenerabilem. 4. col. comprobat, dicens: Neq; lex diuina, nec humana prohibet filios duorum fratrum licite contrahere: & essent filij inde nati legitimi & parentum suorum successores, nisi lex Papæ prohibuisset. iux. gl. in d. l. celebrandis: & Ang. post gl. in d. §. duorum. Vnde cū in his positiois Papa sit supra ius c. propositum. De cōcess. prob. l. digna uox. C. de legib. cum uulg. Sequitur euidentissima ratio, quod tale ius posituum ipse Papa in casu certo tollere, limitare & interpretari possit. arg. c. j. & 2. De fil. præbyt. l. j. C. de legib. & per Abb. in d. c. per uenerabilem. 4. col. cum simil. Et esset instar sacrilegij de

L s potestate

potestate dispensandi eo casu disceptare. l. sacrilegij. C. de dinerf. rescript. & latè Soccin. consil. 13. & 14.4. Et sufficit Papam ita uoluisse. c. cum ad monasterium. & ibi Innoc. De stat. regul.

Nec obstant in contrarium adducta; quæ etsi per supra dictas resolutiones satis sint confutata: specialius tamen respondendo: non obstat quod primò præ tenditur promiscuam nubendi libertatem, propter publicam honestatem esse restrictam. Quia negatur inter consobrinos lædi publica honestas, postquam nec lege diuina, nec humana ea coniunctio prohibita sit: sed tantummodo iure positio, quod per Papam temperari potest. Et dicit Hostiens. in tit. de consang. & affin. §. quis sit effectus: quòd publicæ honestatis iusticia in nullo casu locum habeat, præterquam in sponsa fratris. iuxta l. pen. C. de incest. nupt.

Quo loco etiam non obstat quod præ tenditur ecclesiasticis statutis standum esse. Verum enim est, nisi per Papam dispensetur in his, quæ sunt iuris positivi, in quibus dispensare potest.

Quòd uerò extraneus Clementis adducitur, nihil pugnat: quia Clemens non potuit præ iudicare suo successori: cum par in parem non habeat imperium. c. innotuit, §. multa. De elect. Felin. Decius & alij in c. j. De probat.

De uerbis Augustini, & Theologorum dictis non fatigor. Nam in causis definiendis sanctorum patrum scripta Pontificum decretis non anteponuntur, ut in summa distinet. 20. & c. j.

Quòd autè Gregorius allegatur in c. fraternitatis: nõ obstat.

stat. Non enim, ut modo diximus, successori suo præ iudicare poterat.

Ad c. sunt quidam. 25. q. j. per quod præ tenditur in his quæ patres benè definirunt, dispensandi facultatem esse ademptam: nihil facit: cum supra dictum sit Papam super iure positio dispensare posse.

Quòd tandem præ tenditur Papam sine iusta causa dispensare non posse: nec in præ senti causa iustam causam esse allegatam: prorsus non obstat. Nam in his quæ positivi iuris sunt (sicut est prohibitio nuptiarum inter consobrinos) Papa sine aliqua causa expressa dispensare poterit: per iura supra allegata in consilijs Soccini. Et fac. Hostiens. in summa in tit. qui clerici uel uouent. fac etiam c. quia circa. De consanguin. & aff. finit. c. nisi cum pridem. De renunciat. c. qui simpliciter. § 6. distinct. Et constat quod per huiusmodi dispensationem inter consobrinos nec status uniuersalis ecclesiæ decoloratur, iuxta gloss. in c. 2. nobis. De donat. nec aliqua nouitas periculosa introducitur. arg. c. fin. De condit. appof. & d. c. de infidelium. De consang. & affin. Imò res redibit ad sua initia & pristinam contrahendi & nubendi laxitatem. arg. c. etsi illa. 2. q. 7. & §. cum uerò tuam. Institut. De rer. diuis. cum simil. Eo accedente quòd in huiusmodi & similibus casibus, in quibus ueritas naturæ per Papam non tollitur, sed inumbratur, dispensatio non est difficilis. arg. c. sedes. De rescript. l. 3. §. permittitur. & ibi gloss. in uerb. impetrabile. De aqua quot. & est. Laurent. Calcan. consil. 8. Addo communes Doct. doctrinas in d. c. quæ in ecclesijs sunt. De constit. Volentes

res sufficere si Papa contra ius positivum sine causæ expressione dispenset, eamq; dispensationem à quibuslibet locorum ordinarijs ratam habendam. c. cum in iure peritus. De off. deleg. cum simil. Hoc tamen nõ potest in casu quo Papa contra ius divinum dispensasset: expressionem causæ, quæ vel verè pateret, vel saltem probabiliter appareret, omnino esse necessariam, secundum Doct. & potissimum. Mar. Salom. in d. l. fin. De constit. Quod idem tenuerunt Abb. Felin. Decius in d. c. quæ in ecclesiasticarum. Abb. in d. c. per venerabilem. Qui fil. sint legit. Nam in his casib. divina lege expressè prohibitis, nõ nisi causa pacis vel extinguendi belli, vel ad magnorum principum instantiam ecclesia Romana in gradibus divino iure prohibitis dispensare cõsuevit. Certum enim est, quod si Papa sine causa dispensaret contra ea, quæ iuris divini sunt, dispensatus quoad Deum non esset tutus, iuxta gloss. in d. c. non est. De vot. fac. not. in c. ex publico. De conuers. coniug. Nam si Papa in casibus vel gradibus à iure divino prohibitis sine causa rationabili dispensaret, ea dispensatio potius nominari debet dissolutio, ut D. Bernardus ad Eugenium Papam scripsit. fa. Ioan. And. in d. c. de multa. De præbend. Ioan. de Ana. c. j. De Simo. Abb. in c. cum venissent. 5. col. De iud. Idem in c. significasti. De elect. Abb. in disputatione incipiente: Episcopus & quidam Rector Parmensis cum simil. Per prædicta (quæ fortasse aliquanto prolixius deduxi) concludo: Summum Pontificem inter cõsobrinos matrimonium contrahere uolentes, vel forte contrahentes, etiam nulla expressa causa dispensare posse, vel potuisse. Saluo tamen meliori iudicio.

Summa

Summa huius proximi cõsilij fuit in distinctione gradus ascendētis & collateralis: & in prohibitione divina seu naturali (quæ est immutabilis) & humana seu positiva. Tota res unico & breui syllogismo à modo dictis absolui potuisset.


Matrimonia impia sunt in gradib. divina lege prohibitis.

At inter cõsobrinos nulla est prohibitio legis divinæ.

Inter cõsobrinos igitur matrimonia nõ sunt impia. At stulta hominum persuasio facit, ut Elenchi contrarium opinionum sint addēdi: & ad eò inualuit ambitio, quæ iureconsultis quodammodo propria est & quotidie magis magisque inualescit; ut is demum cornicū oculos confixisse & plus cæteris uidisse existimetur, quàm plures Doctores allegare potest, quod magis locupletis & refertæ bibliothecæ quam magnæ prudentiæ, aut iudicij exquisitoris iudicium est; sæpè enim fit ut magnis testimoniis cumulis res notæ minime dubiæ, ac præcipue axiomata quorum ueritas per se hominum animis aperta est; suffulciantur. Sed nimium uerè ille dixit nostri seculi censor, quod iureconsulti de industria suam artem reddant difficilem, quod simul & quæstus sit uberior & autoritas maior apud imperitos, Sed manum de tabula: magistri nostri interueniunt,

F I N I S.





B A S I L E Æ,  
PER SEBASTIANVM HENRIC  
PETRI, ANNO A' CHRISTO NATO  
CIO. IO. LXXIIX. MENSE  
Septembri.

